




REALE ACCADEMIA DELLE SCIENZE DI TORINO
47. 205


N. IX.
17.
ACADEMIA
SCIENTIARUM
TAURINENSIS

TABVLÆ ALPHONSINAE PERPETVÆ MOTVVM COELESTIUM

tium denuo reſtitutæ & illuſtratæ à
Franciſco Garcia Ventanas
Mathematico.

TRADVNTVR PRAECEPTA
VT ARITHMETICÆ COLLIGAN-
tur omnes medij motus, necnon feſta mobilia ſecū-
dùm correctionem Gregorianam, & tabulæ abbre-
uiatæ eliciendi ei idem medios motus con-
ſtructæ ad Meridianum Toletanum,
cuius longitudo eſt 11. gr.



CVM PRIVILEGIO.

MATRITI IN OFFICINA REGIA, ANNO 1641

TASSA.

YO Francisco de Arrieta Secretario del Rey nuestro señor, y Escriuano de Camara mas antiguo de los que en su Cōsejo residen, certifico, q̄ por los señores del dicho Real Consejo està tassado el libro, que con su licencia fue impresso, cōpuesto por Francisco Garcia de Ventanas, intitulado, *Tablas del Rey D. Alonso nueuamente ilustradas*, à cinco marauedis y medio cada pliego; el qual parece tiene treinta y vn pliegos y medio sin principio, y sin fin, que al dicho respeto de cinco marauedis y medio monta ciento y setēta y quatro marauedis, y à este respeto mandarō se vēda cada vno de los dichos libros, que assi se imprimiere, y que esta tassa se pōga al principio de cada vno, como consta y parece del dicho auto, que originalmente queda en mi oficio, à que me refiero. Y para que dello cōste di el presente en Madrid à 24. de Mayo de 1641. años.

Francisco de Arrieta.

ERRATAS.

FOl. 1. lin. 9. superet, leg. superst, & in versione fol. 1. lin. 2. quod, leg. quot, in versione fol. 2. lin 3. relinquantur, leg. relinquentur, & in eadem versione fol. 2. lin. 11. anno, leg. anni. in versione fol. 3. lin. pen. & quo, leg. & quod. in fol. 4. lin. 8. efficiẽter, leg. efficientur. fol. 5. lin. 15. & relinquantur, leg & relinquntur. fol 9. lin. 23. Cirerm, leg. Cinerum. in versione fol. 9 lin. vltima, die, leg diei. fol. 10 lin. 10. diei, leg die, & in ipso fol. 10. lin 22. sias, l. scias. fol. 12. lin. 1. operari, leg, operare. in versione fol. 33. lin. 13. adicem, leg. radicem. fol. 36. lin. 17. Cnm, leg. Cum. fol. 41. lin. 13. Cũ, leg. Tunc. fol 46. lin. 18 tractatum, leg. tractatu. & in eodem fol. lin. 23. interũ, leg. iterum. & in versione fol. 46. lin. 9. gignutur, leg. gignũtur. in versione fol. 47. lin 19. numero primo, leg. nnmerum primum. & in eodẽ fol. in fine lin. 20. & principio lin. 21. Secundo, leg. Secundum. fol. 51. lin. 16. proueniat, leg prouenit. fol. 53. lin. 23. date, leg. datæ. & in versione fol. 54 lin. 7. manet, leg. manẽt. & in eodem fol. lin. 22. iuuente, leg. inuentæ. fol. 55. lin. 1. crerntur, leg. creantur. fol. 56. lin 11. simichi, leg. similiter. in versione fol. 57 lin. 4. Canon, leg. Canonẽ. in versione fol. 56. lin. 15. quibu, leg. cum quibus. fol. 58 lin. 1. Canon, leg Canonem. & in versione fol. 58. lin. 5. disci, leg. ęc yptici. & in versione fol 59. lin. 21. fae. leg. fac & in versione fol. 60. lin. 11. iuuentam, leg. inuentam. fol. 61. in versione lin. 1. vita, leg. visa in versione fol. 62 lin. 7. vera, leg vere, fol. 64 lin. 16 ddes. leg. addes. in eodẽ fol. lin. 19 proueniat, leg. prouenĩt in versione fol. 77. lin. 23. Canon, leg. Canonem. & in eadem versione lin. 24. Cononi, leg. Canoni. Numeri autem quibus paginæ demonstrantur transverso sunt ordine positi à pagina octuagesima vsque ad paginam nonagesimam, at vero ab ordine non distant nec numerus octuagesimus septimus, nec octuagesimus quintus, fol. 84. lin. 5. mprima, leg. g fol. 89. titulus tabulæ mentionem facit Veneris, sed tu leg. Mercurij fol. 108. in versione lin. 1. h, leg d. fol. 109. lin. 7. opositionis, leg. opositione. in eodem fol. lin 14. Coniunctionis, leg. Coniunctione.

Liber hic nomine inscriptus, *Tabulæ motuũ Cælestiũ perpetuæ*, demptis his mendis respondet fideliter suo exemplari. Datum Matriti die 15. mensis Februarij anno 1641.

Doct. D. Franciscus Murcia de la Llana.

Suma del priuilegio.

TIene priuilegio Fräcisco Garcia de Vẽtanas, vezino de Ciudad Rodrigo, por tiẽpo de diez años para poder imprimir vn libro, que ha cõpuesto, intitulado, *Tabulæ perpetuæ motuũ Cœlestium*, como mas largamente cõsta de su original, su fecha en Madrid à 19. dias del mes de Iunio del año de 1640. despachado en el oficio del Secretario Francisco de Arrieta, à que me remito.

APPROBATIO.

DE Comissione D. Laurentij de Iturrizarra Vicarij generalis Matriti, &c. Tabulas motuum Cœlestium perpetuas, quas in nouum methodum elaborauit Franciscus Garcia accuratè perlegi, Hispanam gloriã sæculis restituit; Calculos certiores, quando plerumque cæteri per statum seriem deuiant, memoriæ redegit; & quia nil inuenio, quod fidei, & bonorum morum dogmatibus aduersetur, licentiam, vt imprimantur impertiri posse, arbitror. Matriti in Collegio domo Spiritus sancti 25. Maij 1640.

Andreas de Leon
Clericorum Minorum.

APRO-

APROVACION DEL ORDINARIO.

NOs el Licenciado Loreço de Iturrizarra Vicario general de la villa de Madrid y ſu partido por ſu Alteza, &c. Por la preſente, auiendo hecho ver el libro contenido en eſta cenſura, intitulado, *Tablas de Mouimiētos Celeſtes*, compueſto por Franciſco Garcia Vētanas, no tiene coſa cōtra nueſtra ſanta Fè Catolica, y buenas coſtumbres: y aſsi por lo que à Nos toca ſe puede dar licencia para que ſe imprima. En Madrid à 26. dias del mes de Mayo de 1640. años.

Licenciado Lorenço de Iturrizarra.

Por ſu mandado.

Simon Ximenez.

APPROBATIO.

IVssu Supremi Consilij Senàtus, has Tabulas Canonesque Cœlestiũ motuum perlustraui, in eisque, quidquid antiquitate firmum, quidquid nouitate præclarum, mira rationũ concatenatione, & connexum & digestum notaui. Inque earũ cõstructione & fabrica, nesciat quisquis curiosus inspector fuerit, quid præcipuè debeat æstimare; vel auctorẽ sine obscuritate brebẽ, vel in tãta rerũ difficilium copia, ita expedite disponentẽ, vt quãvis inter abstrusiora humano ingenio scitu digna, motus gyrationesq; luminũ cęlestiũ recenseantur, tamen huius operis auxilio, cuiquam perbiæ sint; omnibusque patet modus noscendi cõcentus ordinesq; cęli, & ponendi eius rationes in terris. Vt sapiens ille, tota celebris antiquitate Archimedes, dũ iura poli rerũq; fidẽ legesq; deorũ ecce transtulit arte; atque meritò poëta decantaret; gaudiũ inesse syderibus, non iã diuina mente, sed & humana regi. Quapropter iudico, posse hoc opus (non solũ quia sacris dogmatibus non aduersatur; sed potiùs quia eorũ sinceritati suffragatur) typis mandari; sic iudico, sic exopto, in Collegio Imperiali Scholarũ Regalium Societatis Iesus. Matriti die, &c. anno 1640.

Iosephus Martinez.

AL

A L
EXCELLENTISSIMO SEÑOR DON BERNARDINO Fernandez de Velaſco y Touar, Cõdeſtable de Caſtilla, y Leon, &c.

EL Rey Don Alonſo, ſeñor, fue el que faltando los Calculos de Hipparco, de Ptholomeo, de Albategnio, Arzael, y de la primera antiguedad, leuantò los mouimientos de los Cielos ſobre las colunas de la verdad; ſuſtentò las eſtrellas, que en los eſtudios de los hombres amenazauã ruina: generoſo Rey, que apartado de los empleos de la ambicion, con la hazienda, y con el animo leuãtò los ojos al Cielo, reſtituyò à luz la Aſtronomia, dio camino à los Sabios, nombre à ſi miſmo, gloria à Eſpaña.

El tiempo (emulo mortal de famas poſthumas) ha querido eſcurecer los trabajos de tanto Rey. Parecio à algunos, que fluctuaua la incertidumbre en ſus tablas. Purbaquio, Monte-Regio,

Coper-

Copernico, Reinholdo, Tycho Brahe, Ceplero, y Lansbergio, con las obſeruaciones perficionaron el arte por lo menos alcançaron la gloria del pretenderlo. Con esto dudaron algunos de la verdad de las tablas del Rey Don Alonſo, ya porque los años tambien quieren que caduquen los eſcritos; ya porque los eſtrangeros no quieren las glorias de Eſpaña; ò ya porque los Modernos han obſeruado mucho mas. Pero, ſeñor, quando en los miſmos Eſcritores leo tantas alabanças del Rey Don Alonſo; quando miro, que los mas, le confieſſan el mas cierto; quando hallo, que los doctos le imitã; quando la Reformacion Gregoriana ſe inſtituyò por la cantidad del año deſtas tablas; quando los calculos de algunos modernos ſon tan agenos de las eſtrellas, ſaco por lo menos vna conſequẽcia, que abſtrayendo de la verdad, las Tablas Alfonſinas ſon las que mas concuerdan cõ la perpetuidad de los tiempos.

Determinè ponerlas, y darlas à nueua impreſſion; y para q̃ tuuieran alguna nouedad, las adornè de algunas curioſidades. Hecho el trabajo, poco tardè en eſcoger el dueño à quien deuian dedicarſe: pero como veo à V. E. apartado deſtos eſtudios,

dios, quise dudar la eleccion. Cõtodo V. E. la admita; q̃ si estos estudios emplearon algunos ratos en V. E. en mi, lo q̃ en otro tiẽpo fuera lisonja, siẽpre tiene nõbre de obligaciõ. El reconocimiẽto es grande, ya q̃ pequeña la dadiua; pero para motiuarla mayor, ofrezco en seruicio de V. E. imprimir vna Apologia, q̃ estoy escriuiendo contra los Astrologos, que para el mũdo serà desengaño; no solo vtil, sino tãbiẽ necessario. Despues desto procurarè aliñar vnos papeles de Nauegacion para darlos à la estampa; porq̃ sè, que es curiosidad del gusto de V. E. A cuyo exemplo, à cuya protecciõ de las letras, à cuya libreria (tesoro heredado, jũtamente con el caudal, del padre de V. E.) deuo quãto poco alcanço.

Esta, señor, no es dedicatoria, quiero dezir, que por esso no hablo de la Casa de V. E. este solo es reconocimiẽto beneficiado de mis deseos: y quedaràn pagadissimos cõ tener este pepueño trabajo hõrado en el menor rincõ de la libreria, sobre la gloria de admitidos en el seruicio de V. E. cuya persona guarde el Cielo, &c.

De V. E. humilde criado.

Francisco Garcia Ventanas.

LECTORI, PROOEMIVM.

MOtuum Cœleſtium tabulas aggredior: hic campus, in quo calculorũ conditores plurimi circum ſuũ decurrere fęliciter; & quiſque de ſuo nouus Iupiter cerebro, nouum Vulcanum cudit, & Palladem. Motus enim cœlorum cardo ſunt obſeruationũ; in quibus, euentus & directiones ſuum ſtabiliunt tempus. Hinc non ſolũ Phęnices, Græci, & Ægyptij ſunt Aſtrorũ diſciplinã proſequuti; ſed etiã eos qui illorũ motus inuenerant, correxerãtve, viuẽtes pro Regibus venerabantur, ſolutos à mortalitate pro dijs coluerunt. Cœleſtes igitur indagines, curſus, & meatus ingredior; non cõdo nouos, nec alios tractus duco, ſed expeditiores reduco.

Primùm, cœlorũ, & ſtellarũ motus numeris exegi; namque, cum perpendebã quantis erroribus omnium tabulæ grauentur, & quãti ambagũ fucus illas perſtringãt; penè lector tabulis Aſtronomicis fidere poteſt. Paſsim enim inuenio typis, & præli improbitate adulterinos, & ementitos numeros, infinitis vitijs offendor;

Inſu-

Insuper postquam per tabulas motum planetę collegerim, nulla certitudo, animum meum de veritate pacat, namique in Arithmetica opus est semper inuenire probationem vt de operatione, nos instruat securos. Igitur maximũ duxi, conferre beneficium, si sterneretur trames, in quo de securitate motuum certioraremur. Excogitaui Arithmeticæ, & numerorum modum; quo, postquàm stellæ tractũ extraxerim (vt patebit) certa probatio supputatorem securum reddet. Iám indè si aliquibus tędiosus methodus videatur, postremò easdem tabulas Alfonsinas breuiores redegi, vt quisque, pro animo supputationem seligat.

Insuper aliqua addidi, vt hoc studium alicui nouitati redoleret. Kalendarium Gregorianũ paucis præceptis comprehendo; & quod maximum est, epactarum perpetuitatem exposui, quæ omnes plerumque Authores profligauit. Dierum æquationem cõmuni, & certiori methodo restitui; eclypses explanaui, quæ iuxta Regem Alfonsum à paucis erant enodatę, nullis exẽplis traditæ. Nõ solũ eclypses super terrã, sed & quæ subter cõtingẽt, præceptis dedi.


Igitur,

Igitur, ò lector, nec te voco beneuolũ, nec te inuoco benignum, nec accuso mordacem, nãque nec te, mihi apto odiosum; nec opto aucupatum. Cõdona, si viam, tramitemque errauì; si peritè scripsi, aplaude; quod rectum erit demeretur odiũ: si deuiaui, indulge; errata meretitur pietatem; defectus etenim in desiderãte veritatem, petunt te compassibilem, nõ accusatorem. Vale.

TRACTATVS PROOEMIALIS diſtributus in Præcepta.

PRÆCEPTVM PRIMVM.

Vtrùm ſit biſextilis, vel communis quilibet annus ante Chriſtum natum.



NNIS datis adde 3. totum diuide per 4. & ſi ſuperſit vnitas, annus erit tertius poſt biſextum: ſi 2. erit ſecundus poſt biſext. ſi 3. primus poſt biſext. ſi verò nil ſuperſit, erit annus biſextilis.

In exemplo. Sit enodandum, qui ſit annus 53. ante Chriſtum, addo 3. efficiuntur 56. quos diuido per 4. nil ſuperet; ergo hic annus fuit biſextus.

PRÆCEPT. II.

Qui anni poſt Chriſtum natum ſint communes, & qui biſextiles.

¶ Annos datos diuide per 4. ſi in diuiſione ſupereſt vnitas, annus tuus eſt primus poſt biſextilem; ſi 2. ſecundus; ſi 3. tertius; ſi nil ſupereſt, erit

annus bisextilis. Deinde à quotiente diuisionis scies quòd intercalares elapsi sint in annis, siue ante, siue post Christum.

In exemp. Sit exagitandum, vtrùm annus 1639. post Christum sit communis, an bisextus; illos diuido per 4. supersunt 3. ergo fuit annus 3. post bisextum.

PRÆCEPT. III.

Modus quo intercalandum sit ab annis Christi 1699. in post futura tempora, secundum correctionem Gregorianam.

¶ Hæc regula solum intelligenda est frequens ab annis 1699. in decurrendos postea, namque vsque ad ipsos, canon antecedens docet, qui annus ante, & post Christum fuerit bisextilis, aut communis. Hoc attẽto, sic capies hoc præceptũ.

Si vltimæ duo littere manus dexteræ (in annis tuæ operationis) non sint o.o. diuide tuos annos per 4. & in residuo patefiet, an annus sit bisextilis, an communis per antecedens præceptum.

Si vltimæ duo figuræ manus dexteræ sint o.o. aufer easdem ab annis tuis: à residuo auferas 16. tunc quod remanet diuide per 4. & residuum dabit annum, an communem, an bisextilem.

Modò, vt venias in cognitionem bisextilium, quia Christo nato vsque ad annum tuum decurrerunt, sic operabere, (siue duo vltimæ figuræ sint o.o siue non) diuide annos tuos per 4. serua quotien-

tientem. Insuper aufer duas figuras manus dexteræ: à reliquo aufer 16.hoc residuum diuide per 4. & quòd veniet in quotientem, multiplica per 3. Postea huic producto addas illud quod fuit residuum dictæ diuisionis, deinde hoc aggregatum subtrahe à quotiente superius seruato, & quot superest creabit bisextiles interceptos à Christo nato ad tuum annum.

Si verò quod fuit residuum à 16. non posit diuidi per 4. ipsum deducas à quotiente seruato, & habebis bisextiles comprehensos.

In exemp. Sit inquirendum, an annus 2359 post Christum, futurus bisextilis, an communis: quia vltimæ duæ figuræ manus dexteræ, non sunt 0.0. annos, diuido per 4. supersunt 3. Ideo hic annus 2359. est tertius post bisextilem.

In alio exemplo. Quæritur qui annus sit 2000.post Christum, (& quia annus hic transgreditur 1699. vtor regula data) quia duo litteræ manus dexteræ sunt 0.0. aufero eas, supersunt 20. à quibus deduco 16.manent 4.diuido per 4.& nil reliquitur: ideo annus propositus bisextilis erit.

Detur nunc exemplum. Ad eliciendum quot bisextiles erunt à Christo nato ad quemlibet annum, dummodo anni sint plures 1699. secundum correctionem Gregorianam: & sit in anno 2000. hũc numerũ diuido per 4.veniunt in quotientem 500. hos seruo.

 Dein-

Deinde ab annis datis aufero duas figuras manus dexteræ: superſunt 20. ab his aufero 16. relinquantur 4. hos diuido per 4. & venit in quotientem vnitas.

Hanc vnitatem multiplico per 3. efficiuntur 3. (& quia in diuiſione reliquati nil manet, nil dabitur addendum) numerum hunc ſcilicet 3. aufero à quotiente ſuperius ſeruato, nempè à 500. & remanent 497. Ideò à Chriſto nato vſque ad annos 2000. dantur ſecundum correctionem Gregorianam, anno 497. biſextiles.

PRÆCEPT. IIII.

Litteram Dominicalem inuenire.

¶ Hoc præceptum diuido in tres ſectiones, propter reformationem Gregorianam.

SECT. I.

Littera Dominicalis à Christo nato ad annum 1582.

¶ Annis datis adde 20. aggregatum diuide per 4. & quòd ſit in quotiente iunge cum eiſdem annis datis, & cum eiſdem 20. hoc totum diuide per 7. abijce quotientem, & reſiduum aufer à 7. & manebit numerus litteræ Dominicalis. Si manet 1. erit A. ſi 2. C. ſi 3. D. &c. ſi nil ſupereſt, erit G. Si annus ſit biſextilis, (quod ſcias per præceptum 1.

vel

vel 2.) littera data erit prior, & inseruiet ab anni exordio ad diem sancti Matthiæ; deinde littera subsequens ordine Alphabetico, erit littera secũda. Eodem modo elicies litteram Dominicalem, secundum annum Iulianum à Christo nato, in perpetuum.

Exemplum. Sit in anno 1580. quibus addo 20. erunt 1600. diuido per 4. & veniunt in quotientem 400. hos iungo cum 1580. & cum eisdem 20. & fiet aggregatum 2000. quòd diuido per 7. Modo quotientem 285. abijcio; & 5. qui reliquantur aufero à 7. manent 2. Igitur littera Dominicalis fuit B. sed quia annus datur per præceptum 2. bisextilis; ideo littera B. deseruit vsque dictum dię, & postea littera C.

SECT. II.

Littera Dominicalis ab anno Christi 1582. vsque 1699.

¶ Habeas litteram Dominicalem eodem modo vti per præcedentem sectionem Hoc verò obserua, sin numero qui diuiditur per 7. ante quam ipsum diuidas, auferas ab eo 10. in reliquo operabere, vt instructus es.

Exemplum. In anno 1639. per sectionem præcedentem addo 20. efficietur 1659. diuido per 4. competunt 414. quibus addo illos 1639. & eosdem 20. & producentur 2073. Modo aufero 10. manet 2063. qui diuisi per 7. dant in quotiente

 294.

294. quos abijtio, & 5. (qui superſunt) aufero à 7. manent 2. Ideo littera Dominicalis anno 1639. datur B.

SECT. III.

Littera Dominicalis ab anno 1699. in poſterum.

¶ Annis datis adde 20. aggregatum diuide per 4. quotientem iunge cum annis tuæ operationis, & addes 10 totum diuide per 7. & ſerua reſiduũ.

Modo auferas duas figuras manus dexteræ; à reſiduo aufer 16. & hoc reliquum diuide per 4. (ſi poſsit diuidi) & pro qualibet vnitate, quotientis accipe 3. quibus adde reſiduum diuiſionis: quod ſi nequit diui per 4. illud reſiduum à 16. tunc ipſum reſiduum auferas à reſiduo ſuperius ſeruato, ſcilicet annorum diuiſorum per 7. Si verò nequit ſubtrahi, adde reſiduo ſeruato tot 7. quot tibi opus erit, vt poſsit fieri ſubtractio. Modo quod remanet aufer à 7 & reliquatur numerus litteræ Dominicalis, ſecundum ordinem Alphabeticum, & hoc in anno communi: at verò ſi annus ſit biſextilis, littera conſurgens, deſeruiet à die ſancti Matthiæ in reliquum anni; at verò littera ſequens ordine Alphabetico, deſeruiet ab exordio anni ad diem ſancti Matthiæ.

Igitur, illo reſiduo diuiſo per 4. (dato caſu quòd poſsit) pro qualibet vnitate accipe 3. quibus addes reſiduum diuiſionis: & quò reſultat deducendum eſt à reſiduo ſuperius ſeruato, ſcilicet annorum

rum diuiſorum per 7.& huic reſiduo (ſi nequit fieri deductio) addes tot 7. quot tibi opus erunt ad ſubtractionem poſsibilem.

Vltimo; quod ſuperſit aufer à 7.& manebit numerus, indicans litteram Dominicalem ſecundũ ordinem Alphabeticũ. Res exemplo fiet clarior.

Exemplum ſit. In anno 3200. qui erit biſextilis; addo 20. efficienter 3220. quos diuido per 4. competunt 805. quos iungo cum illis 3200. creantur 4005. his addo 10.& fiunt 4015. hos diuido per 7. competunt 573. ſuperſunt 4. quos ſeruo.

Annis datis 3200. aufero duas figuras manus dexteræ,& ſuperſunt 32. à quibus deduco 16. manent ergo 16. quos diuido per 4. veniunt in quotientem 4. & nil ſupereſt.

Pro qualibet vnitate accipio 3. igitur 4. per 3. multiplicantur in 12. qui forent ſubtrahendi à reſiduo illo ſuperius ſeruato, (quòd fuit 4.) ſed quia 12. non poſſunt ſubtrahi à 4. Ideo addo vnum, & alterum 7. nempè 14. ſcilicet reſiduo illo ſeruato; igitur 14.& 4. reſidui erũt 18. à quibus aufero illos 12. manebũt 6.& his ſubtractis à 7. dabitur 1. Ergo littera Dominicalis anni 3200. erit A. Sed quia annus erit biſextilis, inſeruiet littera A. à die ſancti Matthiæ in poſterum; at verò littera B. ab initio anni, vſque ad diem ſancti Matth.

PRÆ-

PRÆCEPT. V.

Littera Dominicalis ante natum Christum, vsque ad initium mundi.

¶ Annis datis ante Christum adde 7. & diuide per 4. & quot venient in quotientem iunges cum eisdem annis diuisis; quod aggregatum diuide per 7. & quod residuum erit, auferas à 7. & reliquum dabit litteram Dominicalem; quòd si nil superest; littera Dominicalis erit A. Sed hoc attende, quòd series litterarum non incipit ab A. sed contra ordinem à G. Ita si in residuo datur 1. erit G. si 2. F. &c. Et si sit annus bisextilis addes litteram subsequentem eodem modo, contra ordinem Alphabeticum.

In exemplo. Sit inquirenda littera Dominicalis anno 21. ante Christum, addo 7. creantur 28. quos diuido per 4. competunt 7. & hos iungo cum eisdem annis diuisis, scilicet 28. eruntque 35. quos diuido per 7. veniunt in quotientem 5. & quia nil superest, littera Dominicalis fuit A. Sed quia fuit annus bisextilis, ideò littera prior anni erit A. & littera subsequens contra ordinem, vt diximus, erit G.

PRÆCEPT. VI.

Aureus numerus ante Christum natum.

¶ Annis datis deme 2. reliquum diuide per 19. quod maneat, subtrahe etiam à 19. & reliquũ dabit Aureum numerũ. Si verò nequit fieri diuisio,

ipsos

ipſos annos (demptis 2.) ſubtrahes à 19. vt Aureum numerum adquiras: inſuper ſi nil datur reſiduum, erit Aureus numerus 19. Hoc verò notandum eſt, quòd ſi ab annis datis nequeunt ſubtrahi 2. annis datis addes 19. poſteà proſequero.

D*etur exemplum*. In annis 30. ante Chriſtũ demptis 2. diuido per 19. ſuperſunt 9. hos ſubtraho à 19. manent 10. Ideò Aureus numerus fuit 10.

PRÆCEPT. VII.

Aurus numerus poſt Chriſtum.

¶ Annis datis adde 1. totum diuide per 19. & quòd erit reliquum dabit Aureum numerũ tui anni; quod ſi nil ſupereſt, Aureus numerus erit 19.

Sit exemplum. In anno 2000. addo 1. fiunt 2001. quos diuido per 19. competunt 105. & relinquantur 6. pro Auro numero anni dati.

PRÆCEPT. VIII.

Indictionem inuenire.

SECT. I.

Indictio antè Chriſtum natum:

¶ Indictio eſt reuolutio annorum 15. quæ annum, quo Romanis tributa ferri ſolebant indicabat, & ſimul annum poſt tributorum ſolutionem.

Incipit Cyclus indictionis ex Imperatorum

ſententia, die 24. Septembris, & ex Pontificum decreto, 25. Decembris.

Vt verò cognoſcas quotta quolibet anno ante Chriſtum natum agatur indictio, annis datis adde 11. & aggregatum diuide per 15. tunc reſiduum ſubtrahe à 15. & reſtat numerus indictionis.

In exemplo. Datur annus ante Chriſtum natum 193. & additis 11. fiunt 204 quos ſi diuido per 15. reſtant 9. quibus ſubtractis à 15. remanent 6. pro indictione anni dati ante Chriſtum.

SECT. II.

Indictio poſt Chriſtum, in poſterum.

¶ Annis datis adde 3. & totum diuide per 15. & quod erit reliquum, erit numerus indictionis.

Sit exemplum. In Anno 1700. addo 3. aggregatum diuido per 15. veniunt in quotientem 113. & manent pro indictione 8.

PRÆCEPT. IX.

Cyclus ſolaris ante Chriſtum natum.

¶ Annis datis adde 18. totum diuide per 28. (ſi poſsit fieri) & reliquum aufer à 28. deinde hoc reſiduum dabit Cyclum ſolarem: ſi nil ſupereſt, erunt 28. pro Cyclo. Quod ſi nequit diuidi per 28. tunc aggregatum, aufer à 28. & reſiduum dabit Cyclum.

Sit exemplum. In anno 36. ante Chriſtum, addo

18.

18 erunt 54. quos diuido per 28. abijtio quotientem, manent 26. quos aufero à 28. & dantur in reliquo 2. pro Cyclo solari.

PRÆCEPT. X.

Cyclus solaris post Christum.

¶ Annis datis adde 9. totum diuide per 28. & residuum dabit Cyclum.

Sit exemplum. In anno 1627. addo 9. & diuido per 28. veniunt in quotientem 58. quos abijcio, manentibus pro Cyclo solari 12.

PRÆCEPT. XI.

Epacta inquirenda ad omne tempus.

SECT. I.

Epacta ante Christum natum.

¶ Habeas per præceptum 6. Aureum numerum, quem multiplica per 11. & quòd resultabit erit Epacta; quòd si multiplicatum excedit 30. tunc abijce omnes 30. quot poteris, & reliquum erit Epacta.

Proponatur exemplum. In anno 30. ante Christum, per præceptum 6. habet pro Aureo numero 9. quos multiplico per 11. & fient 99. Igitur abiectis tribus 30. manent pro Epacta 9.

SECT. II.

Epacta post Christum natum, vsque ad annum 1582.

¶ Epactæ secundum annum Iulianum in perpetuum inueniuntur hoc modo: habito Auro numero per tuum præceptum, illum multiplica per 11. & residuum dabit Epactam; si verò multiplicatum excedit 30. diuide per 30.& reliquum erit Epacta. Eodem modo inquiritur Epacta vsque annum Christi 1582. Nam iuxta restitutionem Kalendarij Gregoriani, consules sequenti sectioni.

SECT. III.

Epacta ab anno Domini 1582. in posterum, iuxta reformationem Gregorianam.

¶ Primo inquirenda est posposițio Lunæ hoc modo: anni dati accipe centesimum proximè minorem aufer 1600. reliquum diuide per 400. quotientem multiplica per 3. producto addes tot vnitates, quot centenæ super sunt: aufer 2. serua reliquum. Modò ab eodem centesimo aufer 1800. diuide per 2500. quotiens multiplicetur per 8. producto addes tot vnitates, quoties 300. comprehendit residuum (dummodo si supersint 2400. solũ addas 7. & non 8.) hunc numerum subtrahe à residuo superius seruato, & manebunt dies posposiționis Lunæ.

Mo-

Modò querenda eſt littera indicans Epactam; ſi poſpoſitio Lunæ eſt minor 28. ingredere ſeriem litterarum & accipe literam numero appoſitam. (Et memorabere vtrum ſit maiuſcula, an minuſcula) quando poſpoſitio Lunæ attingit 28. incluſiue adde 1.

Quandò excedit 30. abijce 30. & ingredere cũ reſiduo. Deinde ſi excedit 60. diuide per 60. quotientem iunge cum reſiduo, & abiectis omnibus 30. ingredere cum reſiduo; Dummodò eidem addas 1. ſi peruenit, vel excedit 27. incluſiuè. Vltimò quando diuidas per 60. ſi quotiens excedit 3000. poſtquam abieceris omnes 30. ſubtrahe à reſiduo tot vnitates quot 3000. comprehẽdit dictus quotiens.

Hanc litteram nota in Cyclo epactarum perpetuo, numera ab eo verſus ſiniſtram incluſiuè tres cellulas; & in tertia conſtitue aureum numerum 1. proſequere in ſequentes cellulas, & illa ſub qua incidet aureus numerus tui anni dabit Epactam.

Exemplum. Detur annus 2006. accipio centeſimum proximè minorem nempè 2000. demptis 1600. manent 400. quæ diuiſa per 400. dant quotientem 1. & nil ſupereſt. Quotiens 2. ductus per 3. gignit 3. & demptis 2. ſeruo 1. Modò ab eodẽ anno 200. aufero 1800. reliquus numerus per 2500 diuidatur, quotiens eſt o. & nil addo, quia in reſi-

duo

duo non continentur 300. fit numerus 0. qui deductus ab 1. seruato, relinquit 1. pro pospositione Lunæ, cum qua in serie litterarum accipio litterã B. maiusculam, à qua littera (in Cyclo Epactarum) inclusiue numero sinistram versus tres cellulas; tribuo aureum numerum 1. litteræ N. & quia aureus numerus dati anni est aureus numerus 6. cadet in cellula litteræ E. & dat Epactam 24.

Detur modò annus 90006000. & per regulam datam, exigitur pospositio Lunæ 387018 & quia excedit 60. diuido per 60. veniunt in quotientem 6450. quibus addo residuum 18. fient 6468. abijcio omnes 30, manent 18 à quibus deduco 2. quia dictus quotiens 6450. bis continet 3000. igitur numerus 16. dat f. minusculam, cum quia prosequor ad inuestigandam Epactam.

Series litterarum.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.
B	A	u	t	s	r	q	p	n	m	l	K	i	h	g	f	e
18.	**19.**	**20.**	**21.**	**22.**	**23.**	**24.**	**25.**	**26.**	**27**	**28**	**29.**	**30.**				
d	c	b	a	P	N	M	H	G	F	E	D	C.				

Cy-

Cyclus Epactarum perpetuus.

P	l	C	c	p	F	f	ſ	
*	xj	xxij	iij	xiiij	xxv. 25.	vj	xvij	
M	i	A	a	m	D	d	q	G
xxviij	ix	xx	i	xij	xxiij	iiij	xv	xxvj
g	t	N	K	B	b	n	E	e
vij	xviij	xxix	x	xxj	ij	xiij	xxiiij	v
r	H	h	u					
xvj	xxvijj	viij	xix					

PRÆCEPT. XII.

Feſta mobilia ſecuudum annum Iulianum, & Gregorianum.

¶ Feſta mobilia ſecundum annum Iulianum, eodem inquiruntur modo, vti ſecundum Gregorianum: namque differentia quæ poteſt intercipi, originem ducit à litteræ Dominicalis Præcepto. Vt Paſchatis diem habeas, inquiras primo Plenilunium Paſchale, hoc modo; inuentam Epactã tui anni, ſubtrahe à 29. & reſiduo adde 15.

Si aggregatum non excedit 31. tunc Plenilunium Paſchale incidit in diem eiuſdem aggregati menſis Martij. Si aggregatum excedit 31. aufer 31. & reſiduum dabit diem menſis Aprilis, in quo fit Plenilunium.

Modò, videas cui diei ſubſequenti poſt Pleniluniũ dictũ, præfigitur littera Dominicalis tui anni, & ipſa eſt dies Paſchatis. *Cau-*

¶ Si pro Epacta habeas Asterismum ✱, tunc Plenilunium Paschatis incidit in 13. Aprilis.

Secundo adnota, quòd si prima Dominica post Plenilunium, non attingit diem 22. Martij exclusiue, tunc addas tuo Plenilunio 30. & de aggregato facies vti suprà. Nam Plenilunia Paschalia solum sunt, quæ intercipiuntur à 22. Martij inclusiuè, vsque ad 19. Aprilis.

Exemplum sit. In anno 1641. datur Epacta 18. quàm aufero à 29. manent 11. quibus adde 15. & fit aggregatum in 26. igitur Plenilunium Paschale incidet in 26 Martij.

Detur nunc exemplum pro prima cautione in anno 1710, datur pro Epacta Asterismus ✱, igitur Plenilunium Paschale in cidit in 13. Aprilis.

Modò, pro secunda cautione proponatur annus 1699 datur Epacta 29. quos aufero à 29. nil datur residuum; ergo solum accipio 15. qui erant addendi. Igitur Plenilunium incidit in 15. Martij, sed quia per cautionem datam Plenilunium Paschale, debet attingere 22. diem Martij; ideò addo 30. efficiuntur 45. à quibus aufero 31. & dabitur dies 14. Aprilis, indicans Plenilunium Paschale.

Nunc per litteras Dominicales exemplorum, dabuntur dies Paschatis pro anno 1641. primi exempli 31. Martij; & pro anno 1710. 20. Apri-

Aprilis, & pro anno 1699. tertij exempli, Aprilis 20.

SECT. I.

Cætera festa mouilia

¶ Cognito die Paschatis, hæc sit vniuersalis regula, à die Dominica Paschatis aufer 63. dies, & dabitur tibi Septuagesima. Modo diei Septuagesimæ additis 17. dabitur dies Cinerum. Nunc diei Paschatis adde 39. dies, & habebis Pascha Ascensionis. Deinde Ascensioni adde dies 10. & habebis Pentecostem; nunc huic diei adde 7. & dabitur dies S. Trinitatis: vltimo huic diei adde 4. & habebis festum Corporis Christi. Si verò diei Paschatis Resurrectionis, adduntur dies 35. habebis diem Rogationum.

In exemplo. Sint inquirenda festa mobilia anni 1641. per exempla præterita, comperta fuit dies Paschatis Martij 31. & vt auferam 63. illis addo dies 28. Februarij, & 31. Ianuarij, conficietur 90. aufer modo 63. manent 27. Igitur die 27. Ianuarij datur Septuagesima, adde 17. fient 44. aufero mensem Ianuarij, manent 13. Februarij pro die Cinerm. Modo, diei Paschatis, scilicet 31. Martij addo 39. fient 70. aufero menses Martij, & Aprilis, manent 9. Mai pro Ascensione Domini; quibus addo 10. fient 19. eiusdem mensis Mai pro Pentecoste; quibus addo 7. fient 26. pro die SS. Trinitatis: his addo 4. & fient 30. mensis eiusdem Mai,

Maij, pro die Corporis Christi. Et si diei Paschatis Resurrectionis adduntur 25. dies, habebis diē Rogationum die 5. Maij.

SECT. II.

De Aduentu Domini, & quatuor anni Temporibus.

¶ Aduentus Domini constituitur in Dominica proximiore diei sancti Andreæ, ante, vel post eius festum. Protrahitur vsque vespere Natiuitatis Domini. Res exemplo non indiget, sed caueas quòd si festum S. Andreæ incidit in Dominicam, eadem die celebratur Aduentus.

Prima ieiunia constituuntur in vere calente nouo, diebus Mercurij, veneris, & Sabathi hebdomadæ secundæ Quadragesimæ, quàm scies per præcedētia præcepta. Secunda ieiunia fiunt æstate diebus eisdem primæ hebdomadæ post Pentecostem. Feria ieiunia instituuntur eisdem diebus sequentibus post diem Sanctæ Crucis, quæ celebratur 14. Septembris. Vltima ieiunia instituuntur eisdem diebus post festum S. Luciæ, id est post 13. Decembris.

SECT. III.

A quo die Hebdomadæ, quilibet dies mensis, annò quouis denominetur.

¶ Discenda primò, littera Dominicàlis primi die cuiuscumque mensis, hoc modo.

Ia-

Ianuarius	A	Iulius	G
Februarius	D	Auguſtus	C
Martius	D	September	F
Aprilis	G	Octo ber	A
Maius	B	Nouember	D
Iunius	E	December	F

Cognita littera Dominicali tui anni, ſcies qua feria incipit Menſis quilibet; percurrendo à littera Dominicali anni, vſq; ad eam litteram quæ præfixa eſt primo diei menſis propoſiti (redeundo à littera G. ad litteram A. ſi opus eſt, vt antea dixi:) & in anno biſextili caueas litteræ Dominicali inſeruiendæ poſt S. Matthiam.

In exemplo. Inquirenda ſit feria prima menſis Ianuarij anno Domini 1641. littera Dominicalis eſt F. Quoniam Ianuarij Calendis appoſita eſt A: ſi à littera Dominicali eiuſdem anni, ſcilicet F. numeres alias litteras ſerie Alphabetica, hoc modo; F. G. A. percurres tres litteras: igitur Ianuarius incipit à feria tertia, hoc eſt die Martis, eodem modo operabere in cæteris menſibus.

Sias etiam, quòd eodem modo inuenis ferias ſecundum annum Iulianum, & Gregorianum, Namque quamuis Reformatio poſsit aliam conſtituere litteram, tamen modus inueniendi ferias, per quoslibet annos idem eſt.

PRÆCEPTVM XIII.

De causa restitutionis Calendarij, & Equinoctiorum anticipatione.

¶ Reformatio Gregoriana constituit quantitatem anni, dierum 365. H. 5. 49. 12. vt Æquinoctia certum, & statum diem sortirentur. Sic etenim festiuæ celebrationes definitum solem ducunt, namque ante reformationem anteuertebant sedes suas æquinoctia, & Paschati nullus certus præscribebatur dies.

Correctio Gregoriana reformauit tempora secundum quantitatem anni Alfonsinam: verùm tabularum conditores alij quantitatem anni scripsere maiorem, alij minorem; ideo per hos, & illos anni mensura quantitas est varia; dies namque æquinoctiorum, qui anteuertitur per Regem Alphonsum, non erit quantitas, quæ anticipatur per alium Astronomum.

Regulam igitur proponam si velis inuestigare per quaslibet tabulas, quantum differant Authores in æquinoctiorum anticipatione; id est, quomodo restitueretur Calendarium Gregorianum, & quantam æquinoctia patiantur variationem per quemlibet conditorem tabularum.

Aduerte primò, quòd hæc regula intelligenda est à Christo nato 1600. namque ab hoc anno supposita fuit Reformatio, quæ fuit instituta anno Domini 1582. vt in epistol. Gregor. XIII.

quàm

quam ſcripſit orbi Chriſtiano vniuerſo.

Aduerte ſecundò, quòd hæc regula intelligenda eſt etiam data correctione Gregoriana, & inſequendo eius Calendarium. His animaduerſis ſic ſcrutaberis æquinoctiorum inæqualitatem.

Colligas quantitatem anni tui Authoris (quãlibet velis, vel cuilibet velis aſſentiri,) & habeas quantitatem anni, reformationis Gregorianæ, ſuperius expoſitam: aufer minorem à maiori, & ſerua differentiam.

Modò, reducas diei periodum horarium, id eſt, horas 24. ad ſcrupula vltima quantitatum anni, reducas etiam illam differentiam ſeruatam. Poſtea productum horarum, diuide per minuta differentiæ, & quod veniet in quotientem (non curando de reſiduo) dabit annos in quorum ſpatio (poſt annũ Chriſti 1600.) dabitur error vnius diei in æquinotiorum anticipatione reformata.

Si quantitas anni tui Authoris ſit maior quantitate data à reſtitutione Gregoriana, per vnum diem retardantur æquinoctia, id eſt, ſi inuenires æquinoctium attingendum à ſole Martij, die 21. dicas, quòd illud ingreditur ſol die 22.

Si quantitas propoſita ſit minor reformata, per vnum diem anteuertetur æquinoctium ſecundum Authorem tuum, id eſt, ſi datur Martij die 21. dicas, quòd numerandum foret die 20.

Sic habebis per quælibet futura tempora, ſe-

cundum quaslibet tabulas, quantum æquinoctia varient.

Exemplum. Sit quærendum quo annorum spatio post 1600. Christi, (sic etenim fuit in regula præmonitum) erit dies, ante, vel posponendus æquinoctiorum diei, à reformatione Gregoriana restituto; & hoc sit inuestigandum per quantitatem anni, quam constituunt tabulæ Alphonsine.

	D	H	m	Sec.
Quantitas anni Alphonsina,	365.	5.	49.	16.
Quantitas Gregoriana	365.	5.	49.	12.
Differentia (quam seruo)	00.	00.	00.	4.

Deinde, quia vltimæ fractiones quantitatum sunt scrupula secunda, ideo reduco diem vnum, id est, horas 24. ad scrupula secunda, & producentur 86400. quæ diuido per illam differentiam, seruatam nempè 4. venient in quotientem 21600. Ideo annorum spatio 21600. æquinoctium per vnum regredietur, vel postponetur diem; & quia quantitas Alphonsina maior est reformata, dicendum foret, quòd secundum tabul. Alphonsinas, æquinoctia vnum anteuertent diem in annis 21600. post annos Christi, 1600. id est, à natiuitate Domini, 23200.

Hinc etiam scies quòd ab his annis, vsque ad alios 21600. alius anticipabitur dies, secundum Regem Alphonsum, & sic in posterum. Secundum

hoc

hoc præceptum operari poteris per quamlibet annuam quantitatem tabularum, nisi quantitas Gregoriana eadem sit cum anno tui Authoris.

PRÆCEPT. XIIII.

Arithmetica Astronomica pro Tyronibus ad vsum tabularum.

¶ Arithmeticæ principia proponere opere pretium duxi; nil excogito nouum Tyronibus hoc beneficium confero.

SECT. I.

De collectione numerorum.

¶ Signum commune diuiditur in 30. gradus, signum verò Phisicum, in 60. gradus in 60 minuta; minutum in 60. secunda, &c. vt colligas fractiones Astronomicas, scribe scrupula (quælibet sint) sub scrupulis sibi similibus; gradus sub gradibus. Numera seriem figurarum manus dexteræ, & si colligitur numerus simplex, ipsum scribe sub linea ducta in frõte scrupulorum simplicium; si verò colligitur compositus, scribe numerum digitũ compositi; & numerum componẽtem, iunge cum sequentibus. Sed quia numerus componens tantum debet produci ad sex in signis Phisicis, & ad 3. in communibus, serua quot sex, vel quot 3. possis, & numeros qui transgrediuntur tuos 6. scribe sub decenarijs, & quos seruasti, iunges scrupulis sequen-

sequentibus. *Hoc sit exemplum.*

Sig.	g	m	Sec.
2.	14.	03.	35.
1.	12.	21.	42.
3.	26.	25.	17.

Facto initio, à scrupulis secundis dicas, 5.& 2. fiunt 7. quia est numerus simplex in directo collectorum. Prosequor 4.& 3. efficiuntur 7. ideo seruo vnum sex, & scribo vnitatem residuam. Sic 1. 3.& 1. sunt 5. ipsos annoto. Vlterius 0.& 2. sunt 2. quos scribo. Modo, 4.& 2. coarcebantur in 6. Pergo insuper 1.& 1. aggregantur in 2. quos annoto. Vltimo, 2.& 1. efficiuntur 3. quos scribo.

SECT. II.

De subtractione.

¶ Scribe numerum maiorem, & sub eo minorem, omnes sub sibi similibus. At verò, si iubearis deducere numerum qui sit maior ab alio minori, adde circulum integrum numero minori: ducas lineam.

Confer superiora cum inferioribus, subtrahe vt fit communiter, sed hoc caueas quòd numerus componens, & inferior, si sit maior superiori, addas sex numero superiori; subtrahe inferiorem; & scrupulis, vel gradibus sequentibus, adde 1. pro vnitate commodata ab eis.

Sed aduerte, sicut in præterito canone quòd signa communia ducuntur in gradus 30.& Phisica in 6. Hoc proponatur exemplum.

5. g m 5. Aufer 2. à 5. manent tres, quos
2. 14. 03. 35. ſcribo. Modo, quia à 3. non poſ-
1. 12. 21. 42. ſunt deduci 4. addo ſex numero
1. 01. 1. 53. ſuperiori, & ſic à 9. ſubtractis 4.
deueniunt 5. quos annoto, & ſeruo 1. quem addo numero inferiori ſequenti; ideo à 3 deductis 2, manet 1. inſuper à 6. ſubtractis 2. dabuntur ſcribendi 4. ſeruo vnitatem: ideo à 4. deductis 3. manet 1. Vlterius, ab 1. ſubtracto vno, nil ſupereſt, ergo ſcribo 0. Vltimò à 2. deducto 1. manet 1.

SECT. III.

De multiplicationibus.

¶ Multiplicatio Aſtronomica eadem eſt, quæ frequens, & communis: & vt habeas productum ab ea, hæc annota: incipiam à gradibus: nam quãuis numeri Aſtronomici educantur in hoc tractatu à ſignis in cæteras fractiones; ſigna abijcio, quia ad vſum tabularum non indiges eorum multiplicatione.

Multiplicatis gradibus, per gradus creantur gradus in producto; minutis verò per minuta, habebis in producto minuta. Quando verò multiplices numerum per alium non eiuſdẽ denominationis, (vt ſcrupula prima per tertia) aſpice denominationes vtriuſque numeri; iunge eas, & numerus qui efficitur à denominationibus, dabit denominationem producti: vt multiplicatis ſcrupulis

primis per tertia, quia minuta asignantur per vnitatē, & tertia per 3. & quia 1. & 3. sunt 4. ideo dabunt in producto quarta.

Vt reducas signa Phisica in gradus, illa multiplica per 60. & productum dabit gradus: si conuertenda sint signa communia in gradus, multiplica per 30. si gradus in munita, per 60. &c. & sic in vlteriores fractiones.

SECTIO IIII.

De diuisionibus.

¶ Diuidendo gradus per gradus, proueniunt gradus, & supersunt gradus; diuidendo minuta per minuta, veniunt in quotientem minuta, & supersunt alia eiusdem denominationis.

Quando diuidas fractiones, per alias diuersæ denominationis, numerum minoris denominationis aufer à maiori, & residuum denominabit quotientem, & reliquum ab eo; vt si diuidas quarta per secunda, aufer 2. à 4. manent 2. & sic scrupula quæ venient in quotientem, erunt secunda, & etiam quæ supersunt.

Si reducas quarta in tertia, illa diuide per 60. & venient in quotientem tertia: at verò quæ supersunt, erunt quarta, &c.

SECTIO V.

De regula quæ dicitur Trium.

¶ Si dātur ipsi tres numeri eiusdem denominatio-

tionis, quæ veniunt in quotientem, habent denominationem eandem, quam ipsi numeri tres, & multiplicato residuo per 60. & diuiso per diuisorem, dabit quotienti denominationem subesequẽtem fractionibus quotientis prioris.

At verò, quando in regula trium ipsi numeri tres non sunt eiusdem denominationis, tunc reducas numerum diuisorem, in vnam, & eadem denominationem tertij, vel hanc in illam, (manente secundo in suo esse.)

Semper quotiens diuisionis habet denominationem secundi numeri, & residuum denominatur à fractione subsequente quotienti, hoc intellige, si diuisor sit 60. si verò non sit 60. multiplicato residuo per 60. & diuiso per diuisorem denominabitur vti exposui.

Si facta multiplicatione, productum sit minus diuisore, illud multiplica per 60. & diuiso per diuisorem, veniet in quotientem denominatio subsequens fractionibus datis.

PRÆCEPTVM XV.

Partes proportionales inuenire ad plenum tabularum vsum.

¶ Parte proportionali indiges quotiescumque ingrederis tabulas, cum gradibus, vel scrupulis præcise non inuentis. Hæc proportio constat regula aurea (quæ dicitur trium,) qua datis tribus

numeris, quartus ignotus consurgit. Proponendum superest, qui sit numerus primus, qui secundus, & qui tertius, vt secundus, & tertius inuicem multiplicentur, & productum diuidatur per primum, & vltimo explicabitur, vtrum proportio sit subtrahenda, vel addenda.

Numerus primus semper consurgit ex numero cum quo ingredior: secũdus ex area, sub qua quæsitum colligo: tertius ex differentia non inuenti, & primi. Sed res exemplis elucescat.

Ad inuestigandas ascensiones rectas, numerus primus est scrupul. 60. deinde inuenta ascensione proximè minore, sumenda est differentia cum areali immediatè sequenti, quæ est portio competens vni gradui Zodiaci, hæc differentia est numerus secundus: tertius verò est scrupula quæ dantur vltra gradus signi sub quo ingrederis.

In proportione quæ fit de diuersitate diametri, numerus primus est scrupula 60. secundus, scrupula diuersitatis diametri; tertius, minuta proportionalia inuenta.

Ad inquirendas æquationes planetarum, numerus primus est etiam scrupula 60. secundus est, differentia, quæ datur inter æquationem gradus proximè minoris, & sequẽtis: tertius constat scrupulis, quæ dantur vltra gradus centri, vel argumẽti. Ad eliciendam latitudinem Lunæ, numeri ediscuntur eodem modo, vti ad ascẽsiones rectas.

In

In tabellis pasſionum planetarum, vide per quot gradus augmentantur numeri communes, & gradus, qui accreſcunt dabunt numerum primum: at verò differentia habita inter numerum quæſitum minorem, & ſequentem dabit ſecundum; tertius erit gradus cum ſcrupulis, qui dantur vltra inuentos in numeris communibus. Ad motum horariũ luminarium, numeri inquiruntur eodem modo, vti ad æquationes planetarum. In tabula diuerſitatis aſpectus, numerus tertius eſt ſcrupula, quæ dantur vltra horas completas: numerus ſecundus eſt differentia ſcrupulorum, quæ intercipiũtur ab hora completa, & ſubſequenti: numerus primus eſt vna hora integra, id eſt ſcrupula 60. Proportio quæ fit à ſigno inſubſequens, dat pro numero primo gradus 30. pro ſecundo, differentia ſcrupulorum, quæ dantur ab vno ſigno ad ſequens; pro tertio gradus, quos decurrit Luna.

Proportio quæ fit ab vno clymate ad aliud, dat pro numero primo, differentiam latitudinum vtriuſque: pro numero ſecundo, differentiã, quæ exſurgit ex ſcrupulis habitis ab vno, & altero clymate; pro numero tertio, differentiam quæ elicitur à loco, & tuo, & clymate proximè minori.

Ad inquirendas ſemidiametros Solis, Lunæ, & vmbræ, numerus primus eſt gradus, qui augmẽtantur in numeris communibus; numerus ſecundus eſt differentia ſemidiametri competenti gra-

dui proximè minori,& ſequenti: tertius verò gradus, qui dantur vltra inuentos in tabula: idem intellige ſub tabula ęquationis diuerſitatis aſpectus.

Ad elicienda puncta eclyptica obſcurata, accipe latitudinem viſibilem proximiorem tuæ, deinde & ſequentem; ſubmitto differentiam, & habebis numerum primum: numerus ſecundus eſt, ſcrupula 60. id eſt, punctum vnum: deinde accipe latitudinẽ viſibilem proximè minorẽ tua, aufer minorem à maiori, & differentia dabit numerum tertium: ad colligenda minuta caſus, idẽ datur numerus primus, & tertius, ſed ſecundus conſurgit ex differentia minutorum, reſpondentium latitudini viſibili proximè maiori, & minori. Ad inquirendam quantitatem obſcuratam quo ad viſum numeri inquiruntur eodem modo, vti ad aſcenſiones rectas.

In proportione quæ fit ad longitudinem longiorem,& propriorem: habeas differentiam ſcrupulorum ex vna, & alia, & adquires numerum ſecundum: numerus primus eſt ſcrupula 60. numerus tertius conſtat ſcrupulis inuentis cum argumento.

Inuentis tribus numeris, in qualibet inuenienda parte proportionali, fiat regula aurea per ſect. 5. præcept. 14. deinde productum redactum in fractiones Aſtronomicas, erit addẽdũ, ſi numerus ſequens rei quæſitę accreſcat, at verò ſubtrahendũ ſi decreſcat.

In

In exemplo. Sit quærenda diuersitas aspectus in longituine ad latitudinem, grad. 41. 20. m. cum horis 3. 46. post meridiem, Luna existente in 15. 0. m. Aquarij: igitur cum horis 3. colligũtur scrupula 37. cum horis 4 colliguntur 40. sub signo Aquarij: differentia est 3. pro numero secundo. Numerus primus erit hora vna: numerus tertius cõponetur ex scrupulis quæ dantur vltra horas datas, manebunt numeri tres, nempè, 60. m. dant 180. s. quid dabunt 46. m. producentur 2. m. 16. s. quæ addo scrupulis 37. quia sequẽtia accrescunt, & manebit diuersitas aspectus congruens Horis 3. 47. m. sub signo Aquarij, scrupulorũ 39. m. 16. s. eodem modo in signo sequenti, colliguntur scrupul. 46. m. 16. s. fiat nunc proportio cum gradibus quos decurrit Luna: Primus numerus erit gradus 30. id est, signum integrum; secundus numerus 420. s. quæ sunt differẽtia signorum; tertius, grad. 15. quos adit Luna. Producentur 3 m. 30. s. addenda: & manebit diuersitas aspectus, æquata pro Zodiaco scrupul. 42. 36. s.

Maneat nunc æquanda pro epiciclo, & sit argumentum Lunæ sig. 2. 39. 00. m. in linea numerorum communium, gradus augmentãtur per 6. Igitur gradus 6. erunt numerus primus: deinde differentia scrupulorum congruentium, argumento proximè maiori, & minori, est minutum vnum, id est, secunda 60. numerus tertius erit gradus 3.

qui

qui dantur vltra inuentos. Fiat regula aurea, & producentur secunda 30. quæ addita, fient proportionata scrupula epycicli 11.m. 30.s. igitur si 60.m. dant 11.m. 30.s. quid dabunt 42.m. 36. quæ sunt diuersitas aspectus in longitudine? Producentur addéda 8.m. 9.s. Manebit ergo diuersitas vltimo æquata, scrupul. 50.m. 45.s. Hæc sufficiant vt ad proportionum exemplaria, partes proportionales cæteras elicias.

PRÆCEPT. XVI.

Conuertere gradus in horas, & horarum scrupula, & è contra.

¶ 15. grad. conficiunt horam vnam; sic totus æquator respondet horis 24.

Vt conuertas gradus, & min. in horas, multiplica gradus per 4. productum dabit minuta temporis, quæ si excedant 60. diuides per 60. quotiens dabit horas, residuum verò scrupula.

Scrupula conuertenda, multiplica per 4. productum dabit secunda; si excedunt 60. diuides per 60. & habebis scrupula prima: & sic de cæteris.

Vt conuertas horas in gradus, illas multiplica per 15. productum dabit gradus: minuta horæ multiplica per 15. habebis minuta, gradus, & sic de cæteris.

Exemplum. Sint conuertendi gradus 36. 45.m. in horas, illis multiplicatis per 4. creantur 144. minu-

minuta temporis, quæ diuisa per 60. dant hor. 2. 24. m. Deinde illa graduum minuta 45. multiplicò etiam per 4. fiunt 180. ſcrupula ſecunda, & diuiſa per 60. efficientur horę minuta 3.0.s. Igitur gradus 36.45. facta conuerſione in horarium tempus, dabunt hor. 2.27.m.

Si datæ horæ forent conuertendæ in gradus, multiplicatæ per 15. conſtituent eoſdem grad. 36.45.m.

PRÆCEPT. XVII.

Cuiuſcumque arcus, vel gradus Eclypticæ, aſcenſionem rectam comparare ad quamlibet datam Zodiaci obliquitatem.

¶ Libratio Zodiaci maxima eſt grad. 23.52.m. media grad. 23.41. minima grad. 23.30. hodie verò Sol verſatur in eccentricitate minima.

Tabula aſcenſionum ſupputatur ad obliquitatem Zodiaci minimam; ideo vt aſcenſionem cuiuſuis gradus rectam compares, ingredere tabulam cum ſigno in fronte, cum gradu in latere dextero, è cuius regione in area communi extrahes aſcenſionem, facta parte proportionali.

Si verò aſcenſionẽ indagare velis ad obliquitatem maximam, inter columnas areæ inuenies differentiam, quam ſecundum titulum adde, vel aufer, & adquires ipſam ad tempus congruens tuo voto.

In quauis media eccentricitate fac partem

 pro-

proportionalem per tuum præceptum,& habebis intentum.

Exemplum. Hoc nostro tempore sit indaganda ascensio recta, grad. 8. 30. m. signi Geminis: quia nunc obliquitas Zodiaci est minima, ideò tabula operationi congruit: & elicio pro ascensione recta, facta parte propor. 66. 45. m.

Sit eadem ascensio indaganda, data maxima obliquitate; è regione dicti gradus, & ascensionis inuenio differentiam scrup. 4. quam secundum titulum aufero ab ascensione extracta, & manebit vera ad obliquitatem maximam 66. 41. m.

Sit eadem ascensio inquirenda, data obliquitate Zodiaci 23. 41. modo sic.

Differentia inter obliqui, maxi. & min. 22. m.
Differentia ascensionum dicti gradus, 4.
Differentia obliqui. minimæ, & obliq. datæ, 11.

Igitur, si 22. dant 4. quid habebitur ab 11. dabunt 2. m. o. s. propter titulum auferenda, & exigetur ascensio adequata ad datam obliquitatem 66. 43.

PRÆCEPT. XVIII.

De æquatione temporis ob differentiam Meridianorum.

¶ Ex Geographorum scriptis, collige longitudinem tui loci, & eius ad quem supputantur tabulæ, sumendo loca viciniora, si tua desint: minor longitudo à maiori subtrahatur, & differentiam conuerte in horarium tempus, per tuum præceptum,

tum, & emerget differentia Meridianorum.

Modo, si quærendi sint motus planetarum, aufer differentiam illam à tuo tempore, si locus tuus est Orientalior tabularum Meridiano, (hoc est, quando longitudo tui loci erit maior loco tabularum) vel addes illam differentiam, si tuus locus est Occidentalior, hoc est, quando eius longitudo est minor.

Si verò tempora aspectuum, Eclypsium, & ingressum Solis in puncta cardinalia quæris, tunc si longitudo tui loci est maior, adde illam differentiam tuo tempori; si longitudo loci est minor, illam differentiam subtrahes.

Variæ dãtur apud Geographos locorum longitudines. Tabulæ Alphosinæ constituunt longitudinem Toleti, grad. 11. 0. & Neotericorum obseruationes, grad. 17. Fides sit penes animum operantis: consule tamen eis, quorum sententiæ, obseruationum, & scriptorum laureæ præferãtur.

Exemplum. Sint colligendi motus Romæ, secundum tabulas Alphonsinas, dantur longitudines Romæ, 36.00. Toleti 11. Differentia grad. 11. hanc conuerte in tempus per tuum præceptum; & dabitur hora 1. 40. m. quam differentiam subtrahes à tuo tempore, quia longitudo Romæ maior est Toletana, vt si essent colligendi motus, H. 14. 57. m. manerent horæ equatæ ad Meridianum Romæ, H. 13. 17. m. At verò in supputatione as-

pectuum eadem differentia esset, addenda tempori, & maneret horarum 16. 37. m. Toleti autem, & in locis qui eidem subijciuntur meridiano, hac æquatione non indiges.

PRÆCEPT. XIX.

De equatione temporis ob inæqualitatem dierum naturalium.

¶ Habeas radicis Christi, & dati temporis motus Solis medios: aufer motum medium radicis, à motu medio temporis, addito circulo, si opus sit. Deinde habito radicis Christi, & tui temporis motus Solis veros, & eorum rectas ascensiones: aufer ascensionem radicis à tua temporis, & hanc differentiam secundam compara cum prima. Si differentiæ æquales sint, tempus non indiget æquatione, quia per se æquale existit: si differentia ascensionum maior sit, quàm differentia motuum, excessum conuersum in horarum scrupula, adime dato tempori: hoc intellige, si tempus apparens conuertis in æquale: è contrario verò faciendum est, quando tempus æquale commutas in appares.

Exemplum. Sit inquirenda æquatio anno Domini 1599. Aprilis die 1. H. 10. 34. ad datum tempus colligitur medius motus Solis sex 0. 9. 51. m. 40. s. & verus locus in 11. 59. m. 21. s. signi Arietis: cuius recta ascensio est 10. 56. m. Modo sic, addito circulo.

M. M.

	M. M.	Asc. R. V. M.
Temporis	369. 52.	370. 56.
Radicis,	278. 21.	280. 10.
	91. 31. differentia,	90. 46.

aufer vnam ab alia: manet excessus grad. 0. 45. qui conuersus in horarum scrupula, dat 3. m. 0. s. quæ, quia differentia motuum maior est, sunt adimenda tempori tuo apparenti, vt fiat æquale, sic manebit æquatum tempus ad supputandos motu Planetarum, anno Domini 1599. Aprilis die 1 H. 10. 31. m. 0. s.

De æquatione dierum Alphonsina superiori præcepto accomodata.

¶ Nunc explicandum superest quomodo in tabulis Alphonsinis constituitur tabula æquationũ, maiorem semper habens æquationem, & semper subtrahendam: vtilis sanè sudor; dissimilitudo est exagitata à paucis; hæsitata à pluribus; omnibus elucubranda: Neoterici aliqui cum Regiomontano, vt supputatoribus molestias excusarent canonem cogitauere temporarium, cum æquatione non aliàs addenda, & aliàs subtrahenda, sed adimenda semper tempori apparēti, vt fiat æquale, & addenda medio, vt fiat apparens.

Maximam dierum æquationem, quæ ad hæc secula existit in vltimis gradibus Aquarij addiderunt Planetarum Epochis: ideo quantum addi-

tum fuit radicibus, necessarium foret subtrahere singulis diebus anni, vt inuestigati motus cõgruerent tempori dato. Pro hac re, Consule Regiomontano, lib. 3. epit. & tabul. Prutch. Reinol. præcep. 1. calc. mot. cel. Nos, vt imbecillem hũc modum certiori æquationi restitueremus, hoc idem quod ex suppositione tabulis Alphonsinis additum fuit epochis, subtraximus à radicibus, vt communem modum amplecteremur, & æquationis modus patefieret clarior, cognosceretur certior.

Subtraximus ab epochis motus Solis scrupula secunda, 21.41. competentia scrupulis horarum 8.m. 52.s. quę fuit æquatio dierum maxima. Sed res exemplo absoluatur clarior. Tabula Alphonsina supputata est anno Domini 1456. & maxima dierum æquatio inueniebatur à grad. 21. ad 27. Aquarij (ideo maximam vocaui, quæ deseruit pluribus diebus eadem,) scilicet scrupul. 8. 52. hoc modo. Medius motus Solis tunc temporis sex. 5.22.45.m. 45.s. verus locus in 24.30.m. 38.s. Aquarij; cuius recta ascens.

	M. M.	As. rect. V. M.
Temporis	322.45.m.	326.49.m.
Radicis,	278.21.	280.12.
	44.24. differentia	46.37.

Differentiarum excessus est, grad. 2. 13.m. id est, horarum scrupul. 8.m. 52.s.

Vt

Vt tabula Alphonsina æquationum componatur hoc statuendum, quod æquatio congruens maximę æquationi (quã inuenimus scrup. 8. m. 52. s.) est addenda cæteris dierum æquationibus, quę sint subtrahendę à tempore; & est adimenda æquationi, quæ sit addenda. Modo sic, anno dato 1456. æquatio congruens grad. 24. Aquarij fuit 8. m. 52. quæ scrupula supponuntur addita radicibus, ideo pro æquatione nil dabitur, sicuti vides in tabula Alphonsina, è regione grad. 24. Aquarij.

Sit nunc inuestiganda æquatio per eundem modum, eodem anno congruens grad. 28. 38. signi Cancri, datur medius motus Solis, sex. 1. 59. 30. m. 14. s. Verus locus Solis in 28. 38. m. 17. s. Cancri, cuius ascensio recta, addito circulo.

	M.	M.	Asc. rect. V. M.	
Temporis,	539.	39.	540.	46.
Radicis,	278.	21.	280.	12.
	261.	18. differentia	260.	34.

Excessus differentiarum est, grad. o. 44. m. id est, scrup. 2. 56. & quia differentia motuum maior est, habebit titulum subtractionis, quãdo tempus apparens conuertis in æquale. Ideo iuxta præmonita eandem addo maximę dierum æquationi, quæ fuit scrup. 8. m. 52. s. & fient 11. m. 48. s. Hæc est æquatio congruens, grad. 28. Cancri, eadem quæ constituitur per tabulam Alphonsinam; sed quia hic modus veritati refragatur per temporum seriem,

riem, ideo calculum Alphonſinũ communi æquationi reſtituimus.

Deinde, initio annorum Christi æqualis datur motus Solis per tabulas, ſex, 4. 38. 21. 0. 30. 28. hæc epocha conuenit cum expoſita æquatione; nõ æquationi noſtri canonis; ideo vt conſentanea ſit maximam dierum æquationem, ſcrup. 8. 52. & in motu Solis ſcrup. ſecund. 21. 41. deduximus à motus Solis medij radice; & reſpõdebit accõmodata noſtro canoni, epocha Chriſti ſolaris, in ſex. 4. 38. g. 20 m. 38. s. 39. 34. ad conſimilem modum, cæteræ radices emendantur.

TRACT. II.

De motibus, diſtributus in Canones.

CANON I.

De temporis acommodatione.

§.

De reductione annorum.

¶ Vt calculo inhęreamus Alphonſino annis vtimur Iulianis: ideo ſi Gregoriani dati ſint ipſos in Iulianos conuerte, hoc modo.

Anni Gregoriani incipiunt ab anno Domini 1582. Octobris, die 4. & anni poſtea decurrentes fient Iuliani, ſi à dato tẽpore Gregoriano aufero 10. dies, hoc intelligitur vſque ad annum Domini 1699. ſi anni dati Gregoriani excedãt 1699. tunc accipe annos completos, à quibus auferas duas figu-

figuras manus dexteræ: à reliquo subtrahes 16. Si residuum, nequit diuidi per 4. eidem residuo, adde 10 & aggregatum dabit dies auferendos ab annis tuis, vt fiant Iuliani. Si residuum possit diuidi per 4. fac diuisionem per 4. & quotientem multiplica per 3, cui producto addes residuum diuisionis (si detur aliquod) insuper, adde 10. & hoc totum dabit dies subtrahēdos à tuo tempore Gregoriano, vt Iulianum fiat.

Aduerte, quod dies anni, currentis post completum, numerandi sunt vti Calendario Gregoriano, sit, vel non sit bisestilis.

Exempla. Res per se patet, vsque ad annos 1699. auferendo 10. dies ab annis Gregorianis, vt anno dato 1599. Aprilis die 1. H. 10. 34. m. aufero 10. manebunt ijdem anni reducti. 1599. Martij die 22. hor. 10. 34. m. 00. s.

Datur annus completus 1700. Ianuarij die 13. quia excedunt 1699. Ideo aufero duas figuras manus dexteræ, reliquantur 17. à quibus aufero 16. manet vnitas, cui addo 10. fient 11. quibus ablatis à 13. Ianuarij, dabuntur Iuliani 1700. Ianuarij die 2.

Detur annus currens 2600. Martij die 24. anni sunt completi 2599. ablatis duabus figuris, reliquantur 25. à quibus aufero 16. manent 9. diuisi per 4. dant in quotiente 2. quibus multiplicatis per 3. creantur 6. his addo vnitatem, quæ fuit resi-

dua in diuiſione, & fient 7.& adiunctis 10. aggregantur in 17. Tot ſunt dies auferendi à tempore Gregoriano,& relinquetur Iulianum, anno 2600. Martij die 7.& à Ianuario vſque 7. Martij, intercipientur dies 66.quia annus 2600.non fuit biſextilis; ſecundum reformationem Gregorianam.

§. II.

De accomodatione temporis poſt Chriſtum.

¶ Tempus ad vſum tabularum, accomodatur hoc modo. Dati temporis, accipe annos completos, à quibus ſubtrahes figuram primã manus dexteræ: reſiduum diuide per 2.& quotientem ſeruabis cum denominatione numeri primi.

Modò, vel ſupereſt aliquid, vel non: ſi ſupereſt aliquis numerus, ex diuiſione, ipſum adde figuræ quam in principio ſubtraxiſti (ita ſit additus, vt in compoſito fiat numerus decenarius componẽs: & figura illa ſubtracta fiat articulus compoſiti.) Deinde aggregatum, multiplica per 365. & producto addes tot dies quot biſextiles comprehendit ipſe numerus antequã multiplicetur per 365. Deinde addes dies anni currentis, obſeruando diẽ addendum, ſi intercalaris ſit; adiunge horas, & ſcrupula, & habebis numerum ſecundum, quem ſerua.

Si in diuiſione prima nil ſupereſt, faciendũ eſt de figura ſubtracta, idẽ quod ſi componeretur cũ reſiduo.

Exem-

Exemplum 1. Sit accomodandum tempus superioris §. nempè, anni redacti ad Iulianos 1599. Martij die 22.hora 10.34.m. P. Mer. anni currētes dati sunt completi 1598. ablata figura manus dexteræ, manent 159. diuisi per 2. dant in quotiēte 79. pro numero primo, quem seruo.

Superest vnitas, quam addendo, antepono figuræ subtractæ, quæ fuit 8. & fiet numerus compositus 18. Hoc aggregatum, multiplico per 365. creabuntur 6570. nunc addo 4. quia tot bisestiles comprehendit numerus 18. antequam multiplicetur, efficientur igitur 6574. & additis insuper diebus anni currentis, vsque ad 22. Martij, nempè 81. fient 6655. qui vocabitur numerus secundus. Igitur manet tempus accomodatum, habens pro numero primo 79. pro numero secūdo 6655. hor. 10.34.m.

Exemplum aliud. Anno dato 2600. Martij die 7. hor. 4.35. m. sunt completi 2599. ablata figura prima, dantur 259. diuido per 2. veniunt in quotientem 129. pro numero primo. Superfuit vnitas quę addita figuræ subtractæ fiet 19. multiplicatis per 365. creantur 6935. addo 4 quia tot bisestiles cōprehendit numerus 19. fient 6939. & additis diebus anni currentis vsq; Martij 7. nempè 66. (quia non erit bisestilis annus Dn̄i 2600.) fient 7005. pro numero secundo. Igitur manet tēpus accomodatū habens pro numero primo 129 pro secundo 7005. hor 4.35. m.

§. III.

De temporis accommodatione ante Christum natum.

¶ Annos datos, completos accipe; quos serua: Deinde scribe seorsim dies anni currentis horas & scrupula data; quas dies, horas, & scrupula subtrahes à 365. si annus datus currens sit communis, vel à 366. si sit bisextilis. Si non dantur horæ solum subtractionem facies de diebus, & pro regula vniuersali à residuo subtractionis auferas diem vnum; modo his annis completis, his diebus, & horis, confice numerum primum, & secũdum, vti parrafus superior postulat.

Exemplum. Sit accomodandum tempus anni cõpleti 43. ante Christum natum. Mai die 20. h. 8. 40. m. dies anni currentis sunt 140. igitur dies 140. horas 8. 40. m. subtraho à 365. quia annus datus ante Christum, communis est, manent dies 224. hor. 15. 20. m. à quibus per regulam generalem subtraho diem vnum, & dabuntur 223. Igitur accomodatio manebit inuestigãda per §. præcedentem; & facta accommodatione dabitur pro numero primo 2. & pro secundo 1318. H. 15. 20. m.

His datis, collige per subsequentes canones, motus omnes; hoc obseruato, quòd motus collecti subtrahendi sunt à radicibus (addito circulo si opus fuerit) sicuti adduntur in datis annis post Christum. Sic quamlibet inuestigabis operatio-

nem,

nem, ante Natiuitatem Domini, hæ accommodationes ante & post Christum intelliguntur tantum ad inquirendos motus Stellarum. De accommodatione verò ad exagitandas Eclypses, aspectus, ingressus Solis in punctum quodlibet, agemus alibi; namque aliam requirunt indaginem.

CANON II.

De methodo colligendi motus.

¶ Numerus primus, & secundus (quos accommodasti) multiplicantur per certos numeros vti canon tuus postulabit. Quandòquè in accommodatione temporis poterit deficere aliquis numerus ex duobus; vel primus, vel secundus; tunc solum operabere cum numero dato, quamuis absit alter; eodem modo, ac si haberes productum ex aggregatione numeri primi, & secundi.

Quando ad inquirenda scrupula motus, iuberis diuidere per 60. manent tibi faciẽde quinque diuisiones, & dabuntur quinque residua: primum residuum dabit scrupula tertia; secundum, secunda: tertium, minuta; quartum, gradus; quintum, signa phisica: & habebis motũ collectum. Si verò quintus quotiens excedit sex, abijce quot sex posis, & residuum dabit signa. Quando autem deficiant quotientes qui non posint diuidi per 60. antequã peruenias ad quintam diuisionem; tunc solum habebis motum constantem ex solis scrupulis, vel gra-

gradibus, congruis quotienti, & residuis; habente quotiente denominationem sequentem cæteris.

CANON III.

Augem communem inquirere.

¶ Collige primo medium motum augium, hoc modo: facta accommodatione temporis per præcedentem canonem, multiplica numerum primũ per 31739. productum serua. Deindè numerũ secundum multiplica per 4. & multiplicationi addes tertiam partem eiusdem numeri secundi: aggregato addes numerum primum multiplicatum, quem seruasti.

Hoc totum agregatum diuide per 60. (vel per 6. deducta vltima figura manus dexteræ.) & quod reliqum erit dabit scrupula tertia. Quotientem diuide iterum per 60. & residuum dabit secunda. Iterum hoc quotiente diuiso per 60. manebunt in residuo minuta, &c. Diuide igitur per 60. vsquequò ex residuis habeas minuta, gradus, & signa phisica eodem modo vti præmonui canone præcedenti, & habebis motum medium augium.

Collige secundò medium motum accessus, & recessus octauæ spheræ, sic: habeas numerum primum, & secundum multiplicatum, & aggregatum tanquam si esset inquirendus motus augium, & antequam ipsum diuidas per 60. eundem multiplica per 7. productum diuide per 60. & residuum

da-

dabit ſcrupula tertia; quotientem diuide iterum per 60. & reliquum dabit ſecunda,&c.

Cum motu acceſſus,& receſſus ingredere tabulam æquationis, & ſub ſuo ſigno, gradu,& min. ſumito correſpondẽtem è regione æquationem (facta parte proportionali per tuum præceptum ſi opus ſit) quam æquationem vti inſinuat titulus in fronte præfixus addatur, vel adimatur medio motui augium, & proſiliet aux communis, quæ cum auge omnium Planetarum, Luna excepta, eadem denominatur.

Exemplum. Sit colligenda aux communis anno Domini 1599. Aprilis, die 1. H. 10. 34. m. tempus accommodatum in præcedenti canone dat numerum primum 79. & ſecundum 6655. multiplicato numero primo per 31739. giguuntur 2507381. quos ſeruo. Numerum ſecundum multiplico per 4. efficiuntur 26620. quibus addo tertiam partem eiuſdem numeri ſecundi, quæ eſt 2218. & fient 28838. hoc agregatum addo producto ſuperius ſeruato, nempè 2507381. & creabuntur 2536219. diuido per 60. manent in reſiduo 19. & ſunt ſcrupula tertia. Iterũ diuido quotientem per 60. & reliquantur 30. ſecunda; proſequor diuiſionem quotientis, vſque deficiat, & colligetur motus medius augium in ſig. 0. gr. 11. 44. m. 30. s. 19. non immoror hic in motu congruo horis & ſcrupulis, namque octaua ſphæra non

non vltra 4. tertia mouetur in diei periodo.

Modo ad colligendum motum accessus, & recessus octauæ Spherę, vtar numero eodē, qui fuit diuisus per 60. ad inquirendam augem, nempè 2536219. quos multiplico per 7. productum diuido per 60. & residuum dabit tertia nempè 13. in secunda diuisione dat residum secunda 32. in tertia, minuta 11. in quarta, grad. 22. in quinta, signa 1. igitur manet motus medius octauæ Sphere, sig. 1. 22. 11. m. 32. s. cui addo radicem Christi nempè sig. 5. 59. 12. m. 34. s. & fiet motus medius in 1. 21. 24. m. 6 s.

Cum motu octauæ Spheræ ingredior tabulam æquationum motus accessus, & recessus octauæ Spheræ, & (facta parte proportionali) cum signo in fronte, & gradibus in latere dextero elicio æquationem grad. 8. 53. m. 57. s. cum titulo adde igitur addita æquatione motui medio augium, manebit aux communis vera sig. 0. 20. 38. m. 27. s.

CANON IV.

Augem propriam planetarum inuenire.

¶ Collecta auge communi per præcedentem canonem adde radicem augis Planetæ, cuius augem propriam quæris, & habebit intentum.

Exemplum. Sit colligenda aux propria Solis anno dato 1599. Aprilis diei sig. H. 10. 34. m. ex præcedenti canone collegimus motum verum

au-

augis communis sign.o.20. 38.m.27.s. & addita radice augis Solis, fiet eius aux propria in sign. 1. 32. 3. 50.s.& sic de cęteris.

CANON V.

De obliquitate Zodiaci.

¶ Maxima obliquitas est cum medius motus accessus, & recessus octauæ Sphere est sign. 0. 0. 0.m. 0.s. & vergit ad minimam vsque sig. 1. grad. 30. (quod est tempus minimæ) inde tendit ad maximam, vsque sign. 3. grad.0. hinc libratur ad minimam, vsque sign. 4. grad. 30. inde ad maximam, vsque sign. 6. gr. 0. cum hac cautione cōpara mediū motū accessus, & recessus octauæ Spheræ tui tēporis (subtrahēdo minorē à maiori si opus sit) & scies motum medium qui intercipitur ab obliquitate præterita proximiori vsque tuum tempus: Deinde hunc motum interceptum conuerte in scrupula tertia (vt habeas annos ipsi debitos) quæ diuides per 11110. & quod veniet in quotientem dabit annos, abiecto residuo, namque tanta nō indiges præcisione dierum.

Habitis annis, qui elapsi sunt à præterita obliquitate vsque tuum tempus, ingredere cum eisdē annis tabulam sequentem, & facta parte proportionali si opus sit, accipe scrupula à latere inuenta; de quibus habeas proportionem ad 60. min. Secundum differentiam quæ datur inter

maximam, & minimam obliquitatem nempè, min. 22.

Modò scrupula competentia addes obliquitati minimæ quæ est grad. 23. 30. m. si obliquitas præterita fuit maxima, & vergit ad minimam; vel eadem subtrahes ab obliquitate maxima quæ est grad. 23. 52. m. si obliquitas præterita fuit minima, & tua libretur in maximam; quod scies à cautione superius exposita, & habebis intentum. Quamuis ex tabulis Alphonsinis hic modus non patet, tamen infertur, ex suppositionibus Theoricis eccētricitatis Solis, augis medię, & apparentis, de quibus alibi.

Min.	Anni	Min.	Anni	Min.	Anni
58.	200.	44.	593.	20.	1044.
56.	286.	42.	633.	16.	1123.
54.	352.	40.	672.	12.	1210.
52.	408.	36.	748.	8.	1308.
50.	459.	32.	821.	4.	1430.
48.	505.	28.	894.	1.	1720.
46.	551.	24.	968.		

Exemplum. Sit inquirenda obliquitas Zodiaci anno Domini 1599. Aprilis die 1. datur tunc medius motus accessus, & recessus octauæ Spheræ sig. 1. 22. 11. m. 32. s. & quia aproximabatur sign. 1. grad. 30. ideò erat annus obliquitati minimæ proximus: & per consequens obliquitas præterita

fuit

fuit maxima; videndum erit quot creat annos medius ille motus qui intercipitur ab obliquitate maxima preterita vsque tuũ tẽpus nempè sig. 1. gr. 22. 11. m. 32. s. fient scrupula tertia 17753520. diuido per 11110. & dant in quotientem annos 1597. cum quibus in superiori tabula facta parte proportionali elicio scrupula 1. 25. s. igitur si à 60. m. proueniunt 22. m. (quæ est differentia obliquitatum) quid largientur 1. m. 25. s. liquidabuntur 0. m. 31. s. quæ addo obliquitati minimæ nempè grad. 23. 30. m. quia obliquitas præterita fuit maxima, & manet obliquitas Zodiaci ad annum datum 1599. in grad. 23. 30. 31. s. quæ etiam fere congruit cum Copernico, Tychone, & Lansbergio.

CANON VI.

De Eccentricitate Solis.

¶ Conueniunt inter se motus obliquitatis Zodiaci, & Eccentricitatis Solis, & proinde inuenta obliquitate Zodiaci, eandem habebis pro Eccẽtrote Solis.

CANON VII.

Medius motus, & verus locus Solis.

¶ Facta accomodatione temporis, numerum primum multiplica per 1904326. numerum secundum etiam multiplica per 186023. compara hoc, & illud productum; aufer minus à maiori; re-

 siduum

siduum diuide per 60. & quod sit reliquum in prima diuisione dabit scrupula quarta; in secunda, tertia, &c. hunc motum collectum serua cum titulo adde, si productum ex multiplicatione numeri primi sit maius, vel cum titulo subtrahe si sit minus.

Modò numerum secundum diuide per 60. & residuum dabit gradus; quotientem diuide per 6. & quod sit reliquum dabit signa: quibus addes, vel subtrahes motum superius seruatum, secundum titulum ipsi debitum. Vltimò adde scrupula competentia horis si dentur, dato tempori, hoc modo: horas multiplica per 8870. minuta horarum multiplica per 148 aggrega producta, diuide per 60. & residuum primæ diuisionis dabit tertia; secundæ verò, secunda, &c. & addita radice Christi habebis medium motum Solis. Vt supputes locum Solis, augem propriam (collectam per suum canonem) subtrahe à suo medio motu, & adquires eius argumentum; cum quo ingredere tabulam æquationis Solis, & facta parte proportionali elicies æquationem; quam secundum titulum addes, vel adimes medio motui & habebis verum locum Solis.

Exemplum. Sit inquirendus motus Solis anno Domini 1599. Aprilis die 1. H. 10. 34. m. apparenter, sed cum æquatione dierum exactè H. 10. 31. m. factæ accommodationis numerum primum

ſcilicet 79. multiplico per 1904326. creatũr 150441754. Numerum ſecundum nempè 6655. multiplico per 186023. gignuntur 1237983065. hoc productum maius eſt ſuperiori; ideò ab ipſo ſubtraho productũ ſuperius, & manet 1087541311. diuido igitur per 60. & dantur ex prima diuiſione quarta 31. ex ſecunda, tertia 43. & abſolutis diuiſionibus manent ſign. 1. grad. 23. 54. m. 54. s. 48. cum titulo ſubtrahe, quia productum numeri ſecundi fuit maius.

Modò numerum ſecundum ne nempè 6655. diuido per 60. & dantur in reſiduo grad. 55. & quotiente diuiſo per 6. dantur in reliquo ſigna 2. igitur fient ſign. 2. grad. 55. à quibus deduco motum ſuperius ſeruatum nempè grad. 23. 54. m. 54. s. 48. quia habebant titulum ſubtractionis, & manent ſign. 1. 31. 5. m. 5. s. 12.

Horis 10. multiplicatis per 8870. fient 88700. deinde minutis 31. multiplicatis per 148. fient 4588. aggrego producta in 93288. diuido per 60. & dant ex prima diuiſione, tertia 48. ex ſecunda, 54. s. ex tertia, 25. m. quæ ſcrupula addo motui ſuperius inuento, & addita inſuper radice Chriſti fiet medius motus Solis ſign. 0. 9. 51. m. 40. m. ab ipſo ſubtrahe augem propriam iuuentam per canonem 4. nempè ſig. 1. 32. 3. m. 50. s. & fiet argumentum ſign. 4. 37. 47. m. 50. s. cum quo ex tabula æquationum Solis, facta parte proportionali elicio

elicio æquationem grad. 2. 7. m. 42. s. quam secũdum titulum addo medio motui, & adquiro verũ locum Solis ad datum tempus sign. 0. gr. 11. 59, m. 22. s. id est, in arietis gradu 11. 59. m. 22. s.

CANON VIII.

Locum Lunæ inuenire.

§. I.

De medio argumento Lunæ.

¶ Numerum primum multiplica per 39. numerum secundum multiplica per 3. iunge vtraque producta: deinde numero secundo addes, 0. & numerum integrum adiicies aggregatis superioribus. Totum diuide per 60. & residuum primæ diuisio nis dabit gradus; reliquum verò secundæ, signa, quæ serua.

Iterum numerũ primũ multiplica per 159980. numerum secundum per 14037. aggrega producta, quibus addes quartam partem numeri primi, & dimidium numeri secundi. Horas multiplica per 117585. minuta horæ per 1960. iunge omnia producta, diuide per 60. residuum primæ diuisionis dabit tertia, deinde, &c.

Modò aggrega seruata signa, gradus, & scrupula cum radice Christi, & habebis medium argumentum Lunæ.

Exemplum. Sit inuestigandum argumentum Lunæ anno Dñi 1599. Aprilis, die 1. H. 10. 34. m.

ap-

apparenter; exactè 10.31.m. facta accomodatione temporis numerũ primum 79. multiplico per 39. fient 3081. numerum secundum 6655. per 3. fient 19965. modò numero secundo addo, o. creãtur 66550. quibus addo vtraque producta superiora, & efficientur 89596 diuido per 60. & ex diuisionum residuis (vti sæpiùs præmonui) manẽt sign. 5. gr. 16.

Numero primo multiplicato per 159980. fient 12638420 numerum secundum multiplico per 14037. gignuntur 93416235. aggrega producta; & addita quarta parte numeri primi, simul & dimidio numeri secundi, efficienter 106058003. vltimò horas 10. multiplico per 117585. minuta horæ per 1960. & fient producta vtraque 1236610. data producta aggrego; & ex serie diuisionum addita radice Christi prouenit medium argumentũ Lunæ sign. 4. gr. 51. 39. m. 28. s.

§. II.

De medio motu Lunæ.

¶ Numerum primum multiplica per 93. productum diuidè per 60. & residuum primæ diuisionis dabit gradus, deindè signa. Eundem numerum primum multiplica per 177637. numerum secundum multiplica per 2406 3. iunge producta, quibus addes dimidium numeri primi, & dimidium numeri secundi, simul & eiusdem numeri secundi quar-

quartam partem. Horas multiplica per 1003. minuta horæ per 17. aggrega producta; diuide per 60. residuum primæ diuisionis dabit tertia, &c. Modo iunge seruata signa, gradus, & scrupula adde argumentum Lunę, & radicem medij motus, & habebis intentum.

Exemplum. Dato anno 1599. Aprilis die 1. hora tempore æquali 10. 31. numerum primum 79. multiplico per 93. fient 7347. diuido per 60. & ex diuisionum residuis proueniunt sig. 2 gr. 27.

Eũdem numerũ primũ multiplico per 177673. fient 14036167. Numerum secundum multiplico per 24063. & creantur 160139265. iungo producta, addo etiam dimidium numeri primi; dimidium, & quartam partem numeri secundi, & fient 174180218. & ex serie diuisionum dantur sign. 1. 26. 23. m. 23. s. 38. Horas 10. multiplico per 1003. minuta 31. per 17. fient aggregata producta 10557. diuido per 60. & ex diuisionibus proueniunt scrupula 2. m. 55. s. 57. coniungo signa seruata, gradus, & scrupula, addo argumetum, simul & radicem, & exigetur medius motus Lunæ sign. 1. gr. 28. 52. m. 49. s. 24.

§. III.

De verò loco Lunæ.

¶ Habito medio motu, & argumento medio; subtrahe medium motum Solis à medio motu

Lunæ,

Lunæ,& proueniet elongatio Lunæ à Sole, quam dupla,& adquires centrum.

Ingredere cum centro tabulam æquationis Lunæ, & facta parte proportionali accipe ſcrupula proportionalia, quæ ſerua, & elicias æquationẽ centri,quam ſecundum titulum addes,vel adimes argumento medio, & proſiliet argumentum æquatum; cum quo iterum in eadem tabula elicies, facta parte proportionali, diuerſitatem diametri, de qua,& minutis proportionalibus ſeorſim ſeruatis fac partem proportionalem, quam ſerua. Modò cum eodem argumento vero in eadem tabula (facta ſemper proportione) accipe æquationem argumenti, cui adiicies partem proportionalem debitam diuerſitati diametri, quam æquationem ſecundum ſuum titulum addes, vel adimes medio motui Lunæ,& adquires verum locum ipſius.

Exemplum. Anno dato 1599. Aprilis die 1. horis tempore medio 10.31.m.datur medius motus Lunæ ſign.1. 28.52.m.49.s.24. argumentum medium ſign.4. 51.39.m.56.s. 18. & medius motus Solis ſig.0.9.51.m.40.s. quem ſubtraho à medio motu Lunę & manent ſig.1. 19. 1.m.9.s. 24. pro elongatione Lunæ à Sole; quæ duplata fiet pro centro ſig. 2.28.2.m. 18.s. 48. cum hoc centro in tabula æquationum Lunæ, facta ſemper parte proportionali, elicio minuta proportionalia 55.

oo. s. quæ seruo, & accipio æquationem centri gr. 9.47. m. 36. quam secundum ipsius titulum addo argumento medio, & prosiliet argumentum æquatum in sign. 5.1.27.m.32.18.

Iterum cum argumento æquato in eadem tabula, facta parte proportionali, elicio diuersitẽ diametri, gr. 2.2.m.oo.s. de qua, & minutis proportionalibus superius seruatis (quæ fuere 55. min. oo.s.) facio partem proportionalem, & fiet grad. 1.51. m. 50. s. quæ seruo. Modò cum eodem argumento æquato (facta parte proportionali) accipio in eadem tabula, æquationem argumenti gr. 4.0.57.s. cui adiicio partem illam proportionalem seruatam, & factam ex diuersitate diametri; fiet æquatio argumenti vera gr. 5. 52. m. 57. quã secundum titulum addo medio motui, & prosiliet verus locus Lunæ in sig. 1.34.45.m.46.s.24.

CANON IX.

De verò loco capitis Draconis.

¶ Medium motum capitis collige hoc modo; facta accomodatione temporis, numerum primũ multiplica per 26. productum diuide per 60. & residuum primæ diuisionis dabit gradus, deindè signa. Eundem numerum primum multiplica per 179472. numerum secundũ multiplica per 11438. iunge producta, quibus addes dimidium numeri primi, & octauam partem secundi. Horas datas mul-

multiplica per 476.& minuta per 8.aggrega omnia producta, diuide per 60. & in ſerie diuiſionum prouenient ex prima, ſcrupula tertia, deinde ſecunda, &c.

Iunge ſigna, & gradus ſeruatos, adde radicem, & habebis medium motum capitis Draconis, & vt ipſius verum locum inquiras, ſubtrahe mediũ motum à ſex ſignis phiſicis, & proſiliet verus locus capitis.

Exemplum. Anno dato 1599. Aprilis die 1.h 10. 31.m. numerum primum 79 multiplico per 26. fient 2054. diuido per 60. & ex diuiſionibus eliciuntur ſig. 4.gr. 14. Numerum eundem primum multiplico per 176472. creantur 14178288. numerũ ſecundum per 11438. decernũtur 76119890. addo dimidiũ numeri primi, quod eſt 40. & octauam parte ſecundi; id eſt, 832. inſuper multiplico horas 10. per 476. fient 4760. minuta 31. per 8. fient 248. iungo omnia producta; & dinumerantur 90304058. diuido per 60. & ex diuiſionibus proueniunt ſigna 0.58.4.m.27.s. 38. itaque primo ſeruata ſig.4. 14. 00.m.00. s. ſecundo producta ſig. 0. 58.4.m.27. s. 38. radix ſig. 1.31.55.m. 52. ergo medius motus capitis ſig. 0.44.00.m.19. s.38. hunc motum deduco à ſex ſignis phiſicis & manet verus locus capitis Draconis in ſign. 5.19. m.40.s.22.

CANON X.

De latitudine Lunæ.

¶ Per præcedentes canones, collectum verum locum capitis ſubtrahe à vero loco Lunæ & proſiliet argumentum latitudinis Lunæ verum, quod diſcriminabis in ſigna communia; cum quibus ingredere tabulam latitudinis Lunæ, & facta parte proportionali, accipies latitudinem cum ſuo titulo Septentrionalis, vel Merid. aſcendentis, an deſcendentis.

Exemplum. In exemplo ſuperiorum canonum verum locum capitis ſign. 5. 15. 59. m. 40. s. ſubtraho à vero loco Lunæ ſign. 1. 34. 45. m. 46. s. & prouenit argumentũ latitudinis ſign. 2 18. 46. m. 6. s. id eſt ſigna communia 4. 18. 46. m. 6. cũ quibus in tabula latitudinis Lunæ, ſumendo ſigna in fronte, & gradus in latere ſiniſtro, facta parte proportionali, elicio gr. 3. 17 m. 34. s. pro latitudine Lunæ, & ſecundum titulum denominabitur Septentrionalis deſcendens.

CANON XI.

De medio motu Saturni.

¶ Facta accomodatione temporis numerũ primum multiplica per 4. diuide productum per 60. & reſiduum primæ diuiſionis dabit gradus, deinde ſigna, quæ ſerua Sed gradus collectos diuide per 6. abiice quotientem, & reſiduum adiice ſignis ſer-

ſeruatis. Si verò reſiduum nequeat diuidi per 6. tunc ipſud reſiduum adiice ſignis.

Numerum primum multiplica per 149826. numerum ſecundum per 7235. quibus addes dimidium numeri primi,& quartam partem numeri ſecundi. Modò multiplica horas per 301. & minuta per 5. iunge omnia producta, diuide per 60. & reſiduum primæ diuiſionis dabit tertia, deinde ſecunda,&c. aggrega ſeruata ſigna, gradus, &c. adde radicem,& habebis mediũ motum ſaturni.

Exemplum. Anno dato 1599. Aprilis die 1. h.10. 31. m. numerum primum 79. multiplico per 4. fiunt 316. diuido per 60. manent ex diuiſione ſig. 5. gr. 16. hos gradus diuido per 6. & relinquantur reſidui 4 quos adiicios ſignis ſuperioribus; igitur ſeruantur ſig. 3. gr. 16.

Numerum primum multiplico per 149826. fiet 11836254. numerum ſecundum per 7235 creantur 48148925. addo dimidium numeri primi ſcilicet 40. & quartam partem ſecundi nempè 1664. Multiplico horas 10. per 301. & minuta 31. per 5. gignuntur 3165. aggrego omnia producta in 59990048. diuido per 60. & fient ſign. 4. gr. 37. 43 m. 54. s. 08. igitur primo ſeruata ſig. 3. 16. 00. m. 00. ſecundo ſeruata ſign. 4. 37. 43. 54. 8. radix 1. 14. 5. 20. 12. Medius motus Saturni 3. 7. 49. 14. 20.

CANON XII.

De medio motu Iouis.

¶ Numerum primum multiplica per 67. productum diuide per 60. primum residuũ dabit gradus, deinde signa, quibus addes tria signa si numerus primus sit impar, quandò verò par fuerit nil erit adiiciendum.

Numerum primum multiplica per 52577. numerum secundum per 17955. quibus addes tertiam partem numeri secundi, & eòsdem numeros scilicèt primum, & secundum, deducta figura vltima manus dexteræ vnicuique ipsorum. Horas multiplica per 748. minuta per 12. aggrega omnia producta; diuide per 60. & ex primæ diuisionis residuo prosilient scrupula tertia, deinde secũda, &c. iunge signa seruata, gradus, &c. adde radicem, & habebis medium motum Iouis.

Exemplum. Anno dato 1599. Aprilis die 1.h.10. 31.m. numerum primum multiplico per 67. fient 5293. diuido per 60. & ex diuisionibus proueniũt grad. 13. signa 4. quibus addo 3. signa quia numerus primus est impar.

Numerum primum multiplico per 52577. fient 4153583. numerum secundum per 17955. creãtur 11949052 5. addo tertiam partem numeri secundi nempè 2218. & eundem numerum primum, simul & secundum deducta figura vltima manus dextere scilicèt 672. horas multiplica per 748. m-

minuta 31. per 12. gignuntur 7852. iungô omnia producta in 12365485o. diuido per 60. & ex diuisionibus liquidantur sign. 3.32.28. m.34.s. 10. igitur primo seruata, sig. 4. 13. oo. oo. quia numerus primus est impar, sig. 3. oo. oo. oo. oo. secundo seruata 3. 32. 28. 34. 10. radix 3. oo. 37. 20. 44. Medius motus Iouis, sig. 1. 45 55. 54. 54.

CANON XIII.

De medio motu Martis.

¶ Numerum primum multiplica per 228. & producto addes dimidium numeri secundi, si ipse numerus secundus sit par; quando verò sit impar, aufer vnum ab ipso, & à reliquo accipe dimidiam partem, quam addes producto, & serua minuta 30. pro vno deducto, diuide per 60. ex prima diuisione prouenient gradus, deinde quotientem diuide per 6. & residuum dabit signa, quæ serua cum gradibus; & cum scrupulis 30. si dentur. Numerum primum multiplica per 68270. numerum secundum per 5198. horas per 4716. minuta per 78. aggrega producta quibus addes sextam partem numeri primi, & tertiam partem duplicatam numeri secundi, diuide per 60. & ex diuisione prima habebis scrupula tertia, deinde, &c. adde radicem, & habebis medium motus Martis.

Exemplum. Eodē anno dato numerum primum 79. multiplico per 228. fient 18012. & quia nu-

me-

merus secundus est impar, deduco 1. à numero ipso, & residui dimidium addo superiori producto, conflantur 21339. diuide per 60. & manent sig. 1. gr. 39. simul & minuta 30. pro vno deducto à numero secundo.

Numerum primum multiplico per 68270. fient 5393330. numerum secundum per 5198. creantur 34592690. horas 10. per 4716. gignuntur 47160. minuta 31. per 78. fient 2618. aggrego producta, addo sextam partem numeri primi nempè 13. deinde tertiam partem duplicatam numeri secundi scilicet 4430. & conflantur 40040241. diuido per 60. & ex residuo primo proueniunt, tertia, deinde secunda, &c. hoc est sig. 3. 5. 22. m. 17. s. 21. deinde primo seruata 1.|39. 30. 00. 00. radix 0. 41. 25. 29. 43. Medius motus Martis sig. 5. 26. 17. 47. 04.

CANON XIIII.

De medio argumento Veneris.

¶ Medius motus veneris, idem est ac medius motus Solis; modo sic inuestigabis argumentum medium; numerum primum multiplica per 183. producto addes dimidium numeri secũdi si sit par; si verò sit impar accipe dimidium possibile, & pro vnitate vltima non dimidiata seruabis 30. minuta addenda gradibus. Igitur productum illud diuide per 60. & ex prima diuisione prouenient gradus, deinde signa, quæ serua. Nu-

Numerum primum multiplica per 139856. numerum ſecundum per 25167. horas per 5548. minuta per 92. aggrega producta, quibus addes quintam partem duplicatam numeri ſecundi; diuide per 60. & ex reſiduo primæ diuiſionis habebis ſcrupula tertia, deinde ſecunda, &c. aggrega omnia ſigna ſeruata, gradus, &c. adde radicem, & habebis medium argumentum veneris.

Exemplum. Anno dato 1599. Aprilis, die 1. h. 10. 31. m. numerum primum multiplico per 183. fient 14457. quibus addo dimidium numeri ſecundi, nempè 3327. & quia eſt impar, ſeruo 30. minuta addenda gradibus. Igitur illud productum aggregatum diuido per 60. & manent ex diuiſionibus ſign. 2. 24. gr. & 30. min. ſeruanda. Numerum primum multiplico per 139856. efficientur 11048624. numerum ſecundum per 25167. fient 167486385. horas per 5548. creantur 55480. minuta 31. per 92. gignuntur 2852. aggrego producta, addendo quintam partem duplicatam numeri ſecūdi; nēpè 2662. & cōflantur 178596003. diuido per 60. & ex diuiſionū reſiduis proueniunt ſign. 1. & gradus 46. 50. m. 00. 3. primo ſeruata ſig. 2. 24. 30. m. radix ſig. 2. 9. 22. 2. 36. ergo medium argumentum veneris ſig. 0. 20. 42. 02. 39.

CANON XV.

De medio argumento Mercurij.

¶ Facta accomodatione temporis, numerum primum multiplica per 14. numerum ſecundum per 3. aggrega producta; diuide per 60. & reſiduũ primæ diuiſionis dabit gradus, deinde ſigna.

Numerum primum multiplica per 99531. numerum ſecundum per 23047. horas per 27960. minuta per 466. aggrega producta; quibus addes quintam partem duplicatam numeri primi, & tertiam partẽ duplicatã numeri ſecundi, diuide per 60. & ex primo reſiduo proſilient tertia; deinde, &c. iunge ſeruata ſigna, gradus &c. adde adicem, & habebis medium argumentum Mercurij.

Exemplum. Eodem anno dato 1599. Aprilis die 1. h. 10. 31. m. numerum primum multiplico per 14. ſecundum per 3. & aggregantur producta in 21071. & ex diuiſionibus proueniunt ſig. 3. gr. 11. quæ ſeruo.

Numerum primum multiplico per 99531. numerum ſecundum per 23047. & ex primo proueniunt 7862949. ex ſecundo 153377785. horas multiplico per 27960. fient 279600. minuta 31. per 466. gignuntur 14446. aggrego producta, & addita quinta parte duplicata numeri primi ſcilicèt 32. & tertia parte duplicata numeri ſecundi nempè 4436. conflantur 161539248. diuido per 60. & prouenient ſign. 0. 27. 52. m. 00. 48.

dein-

deinde addo primo seruata sig. 3.11. radix sig. 0. 45 25.58.00. argumentum Mercurij sign. 4. 24. 17.58. 48.

CANON XVI.

Argumenta Saturni, Iouis, & Martis.

¶ Medium motum cuiusuis Planetæ subtrahe à medio motu Solis, & prosiliet eius argumentum.

Exempla. Anno dato, colligitur medius motus Solis sig. 0. 9. 51. m. 40. s. Deinde medius motus Saturni sig. 3.7 49. 14. Iouis sign. 45. 55. 54. & Martis sig. 5. 26. 17. 47. igitur hos medios motus Planetarum; quemlibet per se, subtrahe à dato medio motu Solis, & emerget argumĕtum Saturni, sig. 3.1.2.m.26.s. Iouis, sig. 4.23 55. 46. & tandem Martis, sig. 0.43.33.53.

CANON XVII.

Centra media planetarum inquirere.

¶ Veneris centrum, est Solis argumentum: Saturni, Iouis, Martis, & Mercurij augem propriam subtrahe à suo medio motu, & proueniet centrum medium Planetæ.

Exempla. Solis argumentum (eodem anno dato) datur sig. 4. 37. 47. 50. quod est centrum veneris. Deinde auges propriæ Saturni, Iouis, Martis, & Mercurij subtrahantur ab ipsorum medijs motibus, & emerget centrum medium Saturni

sig. 4. 53. 47. m. 5. s. Iouis sig. 4. 51. 40. 27. Martis sig. 3. 10. 27. 7. & Mercurij sig. 2. 38. 33. 4.

CANON XVIII.

Verum locum Saturni, Iouis, Martis, Veneris, & Mercurij inuestigare.

¶ Per præcedentes Canones quære medium motum Planetæ; hoc attento, quod veneris, & Mercurij idem est, ac medius motus Solis, quære deinde planetarum argumentum, & centrum. Cum centro Planetę ingredere tabulam æquationum suarum, & accipe æquationem centri (facta parte proportionali, si opus sit) cum suo titulo, adde, vel Minue; quam si habet titulũ addendæ, addes centro, & subtrahes ab argumento; si autẽ habet titulũ subtrahendæ, ipsam addes argumẽto, & adimes centro, & prosilient æquata cẽtra, & argumenta. Deinde ipsam æquationem serua.

Cum centro æquato (facta parte proportionali) collige minuta proportionalia, vel longiora, vel propriora, vti fuerint. Cum argumẽto æquato accipe diuersitatem diametri, sub longitudine longiori, si minuta proportionalia denominentur lõgiora; vel sub lõgitudine propriori, si seruata minuta proportionalia sint propriora. Deinde facies partem proportionalem de minutis proportionalibus, & diuersitate diametri. Et serua quod proueniat, cum titulo adde, si minuta proportionalia

denominentur propriora, vel cum titulo subtrahe, si fuerint longiora.

Cum argumento æquato accipe equationem argumenti cũ suo titulo adde, vel minue, huic æquationi addes, vel adimes proportionem factam de minutis proportionalibus, & diuersitate diametri, secundum titulum suum; & adquires æquationem argumenti veram; vltimò si æquatio centri seruata, & æquatio argumenti habẽt titulum subtractionis, vtrasque aggrega, & productum subtrahe à medio motu Planetæ: si habẽt titulum additionis easdem pariter iunge, & addes medio motui. Si autem vna sit additiua, & altera subtractiua, tunc aufer minorem à maiori, & residuum auferas, vel addas medio motui secundum titulum maioris æquationis, & sic assequeris verum locum planetæ.

Exemplum. Anno dato 1599. Aprilis die 1. h. 10.31. sit inquirendus verus locus Saturni; cuius centrum est sig. 4. 53. 47. 5. s. cum quo in tabula æquationum Saturni, facta parte proportionali, accipio æquationem gr. 5. 50. m. 39. s. quam, quia habet titulum addendæ, addo centro, & subtraho ab argumento; & sic relinquitur centrum verum sig. 4. 59. 37. m. 39. s. & argumentum æquatum sig. 2. 55. 11. m. 47. s. Cum centro æquato colligo minuta proportionalia 29. 37. longiora. Et cum argumento æquato (facta semper parte proportionali)

nali) accipio diuersitatem diametri (sub longitudine longiori, quia taliter denominantur minuta proportionalia) grad. o. 3. m. de qua diuersitate diametri, & minutis proportionalibus, fit pars proportionalis, gr. o. 1. m. 29. s. cum titulo subtrahe, quia minuta proportionalia fuerunt lõgiora, quæ seruo.

Cum argumento æquato accipio æquationem argumenti, cum titulo addendæ grad. o. 36. m. 36. s. à quibus subtraho partem proportionalem factam de diuersitate diametri, nempè gr. o. 1. m. 29. & emergit æquatio argumenti vera 35. m. 7. s. Igitur æquationes centri, & argumẽti pariter habent titulum additionis, ideò easdem aggrego in gr. 6. 25. m. 46. s. & congeriem addo medio motui saturni, & prosiliet verus locus Saturni, ad datum tempus in sex. 3. 14. 15. m. oo. id est in Libre grad. 14. 15. oo. eodem modo in reliquis operor planetis, & inuenientur veri loci, Iouis in Cancri grad. 10. 32. 37. Martis in Piscis 13. 50. 8. Veneris in arietis gr. 19. 44. 10. denique Mercurij in Piscis grad. 18. 1. 51.

CAVTIONES.

Ad æquationem Planetarum.

¶ Quando in tabula æquationum, inueneris minuta proportionalia oo. non opus tibi erit querendi diuersitatem diametri, namque argumentum

tum erit examinatum. Si cum argumẽto reperias in diuersitate diametri gr.o.o.m.non indiges minutis proportionalibus, namque æquatio primo inuenta, erit examinata. Si in minutis proportionalibus inuenias, min. 60. non indiges parte proportionali; nam illud, de quo quærebatur pars, est diuersitas diametri exacta. Quando cum centro, vel argumento iubearis ingredi in tabulas; & centrum constet solis signis, siue gradibus; couerte signum vnum in grad. 60. cum quibus, & cum signis residuis, facies ingressum.

CANON XIX.

De latitudine trium superiorum Saturni, Iouis, & Martis.

¶ Centro æquato Saturni adde gradus 50. à Iouis autem subtrahes grad. 20. Martis centro nil addes, nec adimes. Cnm centro dato ingredere tabulam passionum tui Planetæ, & è regione (facta semper parte proportionali) collige minuta proportionalia. Modò in eadem tabela cum argumento vero assume latitudinem Septentrionalem, si centrum verum superius accomodatum, sit in parte superiori tabulæ. Si verò data centra sint in inferiori, accipies latitudinem meridionalem, de qua & minutis proportionalibus seruatis fac partem proportionalem, & quod proueniet erit latitudo Planetæ cum denominatione exposita;

sita; quæ si fuerit Septentrionalis, & argumentum verum non perveniat ad signa 3. erit ascendens, si plus signis 3. descendens, è conuerso autem operabere, si latitudo Meridionalis esset.

Exemplum. Sit inquirenda latitudo Saturni in eisdem exemplis datis; datur centrum æquatum sig. 4. 49. 37. m. 39. s. addo gradus 50. & fient sig. 5. 49. 37. m. 29. s. cum quibus in tabella passionũ Saturni (facta parte proportionali) elicio minuta proportionalia 58. m. 45. s. Modò cum argumento verò, sig. 2. 55. 11. m. 47. s. accipio latitudinem Septentrionalem, quia centrum datum inuenitur in superiori parte tabelæ, & erit grad. 3. 2. m. 00. de quibus, & minutis proportionalibus seruatis 58. m. 45. s. fit pars proportionalis gr. 2. 58. m. 12. Igitur latitudo Saturni est gr. 2. 58. m. 12. Septentrionalis, & denominatur ascendens, quia latitudo est Septentrionalis, & argumentum verum non peruenit ad signa 3. eodem modo elicies latitudinem Iouis gr. 0. 11. m. 50. Sept. descend. & Martis gr. 0. 11. m. 1. Merid. descend.

CANON XX.

De latitudine Veneris.

¶ Cum ipsius argumento vero intra tabulam passionum; collige declinationem, & reflexionem, quæ serua. Nunc centro vero adde gradus 90. & cũ producto (abiiectis signis 6. si oporteat) ac-

accipe minuta proportionalia ; de quibus & declinatione ſeruata facies partem proportionalē, & proueniet latitudo declinationis Epycicli, quæ meridionalis appellabitur, ſi argumentum verū, & centrum verum (cui additi ſunt grad. 90.) inueniantur in eadem parte tabulæ; & ſi vnum ſit in parte ſuperiori, alterum vero in inferiori, erit latitudo Septentrionalis, quam ſerua.

Cum vero centro veneris (antequam addantur grad. 90.) aſſumes minuta proportionalia; de quibus, & de reflexione ſuperius ſeruata fac partem proportionalem, & proſiliet reflexio examinata; Septentrionalis, ſi centrum verum ſit in parte ſuperiori tabulæ, & argumentum verū ſit minus ſig. 3. ſi vero plus, erit reflexio Meridiana : ſi autem centrum verum ſit in medietate inferiori, & argumētum verum ſit minus ſig. 3. erit reflexio Meridionalis ; & quando argumentum verum fuerit plus ſig. 3. denominabitur Sept. quæ erit latitudo reflexionis Epicicli. Vltimò de minutis iiſdem proportionalibus (extractis cum centro vero) accipe ſextam partem, & proueniet latitudo deuiationis deferentis, quæ ſemper denominatur Septentrionalis.

Denique omnes latitudines ſeruatas aggrega, ſi omnes ſint eiuſdem denominationis; ſed ſi vna fuerit Meridionalis, & altera Septentrionalis ſubtrahe minorem à maiori, & ex reſiduo habebis

latitudinem veneris cum denominatione Merid. vel Sept. iuxta titulum maioris.

Exemplum. Sit inquirenda latitudo veneris in eisdem exemplis datis, cum argumento vero sig. o. 18. 34. m 2. in tabella passionum veneris colligo declinationem gr. 1. o.m. & reflexionem gr. o. 24. m. Centro vero sign. 4. 39. 55. m. 50. addo gradus 90. fiet centrum accomodatum sign. o. 9. 55. m. 50. cum quo accipio minuta proportionalia 58. m. 56. de quibus, & declinatione seruata gr. 1. o. m. fit pars proportionalis 58. m. 56. s. quæ est latitudo declinationis Epycicli; Meridionalis, quia centrum accomodatum, & argumentum verum inueniuntur in eadem parte superiori tabulæ.

Cum vero centro veneris sign. 4. 39. 55. m. 50. colligo minuta propor. 10. 24. s. de quibus, & de reflexione seruata gr. o. 24. m. fit pars proportionalis 4. m. 10. s. quæ est reflexio examinata, & Septentrionalis quia centrum verum est in medietate inferiori, & argumentum verum est minus sig. 3. vltimo de ijsdem minutis proportionalibus nẽpè 58. m 56. s. accipio sextam partem, & proueniunt 9. m. 49. pro latitudine deuiationis deferẽtis, & est Septentrionalis semper. Igitur dantur, lati. declinat. Epyc. Merid 58. m. 56. deinde latitu reflexionis Sept. 4. m. 10. vltimò sexta pars minutorum Sept. 9. 49. latitudines reflexionis, & sex-

& sextæ partis colligo ad inuicem, quia sunt eiusdem denominationis Septentrionalis; & fient gr. 0. 13. m. 59. quę subtraho à latitudine declinationis Epycicli, quia hæc est contrariæ denominationis; proueniet latitudo Veneris gr. 0. 44. m. 57. s. & erit Meridionalis, iuxta titulum maioris latitudinis.

CANON XXI.

De latitudine Mercurij.

¶ Cum argumento vero accipe declinationē, & reflexionem. Si centrum verum sit in superiori medietate, ex reflexione decimam partem subtrahe; si autem in inferiori, reflexioni decimam partem ipsius adde, & productum serua.

Centro vero adde signa 4 gr. 30. (abiecto circulo, si opus sit) & cum residuo accipe minuta proportionalia; de quibus & declinatione superius seruata fiat pars proportionalis; & resultabit latitudo declinationis Epycicli: quæ denominabitur Meridionalis, si argumentum, & centrum accomodatum (cui addita sunt sig. 4. gr. 30.) sint in eadem parte circuli, sed si vnum inueniatur in vna medietate, & alterum in altera appellabitur Septentrionalis.

Centro vero adde signa 3. & cum congerie accipe minuta proportionalia, de quibus, & de reflexione seruata fac partem proportionalem; &

emerget reflexio examinata, septentrionalis quidem, si centrum accomodatum (quod est cum additamento sig. 3.) sit repertum in meditate superiori, & argumentum verum fuerit minus sig. 3. si verò plus erit meridionalis: si autem centrum accomodatum sit in medietate inferiori, & argumētum verum minus sig. 3. erit reflexio meridionalis, sed si argumentum sit plus sig. 3. erit Septentrionalis: serua hanc reflexionem Epycicli. Vltimò de eisdem minutis proportionalibus (extractis cùm centro, cui addita sunt sig. 3.) accipe quartā partem, & dimidium quartæ, aggrega has partes, & prosiliet latitudo tertia, quæ semper est Meridionalis, has tres latitudines compara; iunge quæ sunt eiusdem denominationis; & quæ sunt diuersæ subtrahe à maiori, & residum dabit latitudinem Mercurij Sept. vel Merid. secundum titulum maioris. Si autem velis inquirere vtrum sit ascendēs, vel descendens, suputa latitudinem ad decē dies sequentes, quæ dum crescat erit ascendens, si latitudo est Septentrionalis; si diminuatur, erit descendens: si verò latitudo sit Meridionalis, & augeatur denominabitur descendens; si decrescat, ascendens: hoc idem intelligendum in Venere.

Exemplum. Anno dato superiùs, cum argumento vero sig. 4. 25. 25. 19. accipio declinationem 12. m. 00. s. & reflexionem gr. 2. 25. m. & quia centrū verum inuenitur in inferiori medietate tabulæ,

accipio decimam partem reflexionis nempè 14. m.00.s.quam addo reflexioni, & proueniunt gr. 2.39.m 0.s.

Centro vero sig. 2.37,26.m. 19. addo sig. 4.gr. 30. & cum producto sig. 1.7.26.19.accipio minuta proportionalia 23.22.de quibus & declinatione seruata, nempè 12.m.0.s. fiat pars proportionalis 4.m.40.s. quæ erit latitudo declinationis Epicycli, Septentrionalis quia argumentum, & centrum accomodatū inueniuntur in diuersa medietate tabulæ.

Centro vero addo sig. 3. & cum congerie sig. 5. 37.26.m.19. elicio min. propor. 55.m. 10.s. de quibus, & de reflexione seruata fit pars proportionalis gr. 1.58.m.24. & appellabitur reflexio Meridionalis, quia centrum accomodatum reperitur in medietate superiori, & argumentum verū excedit sig. 3. Vltimò de eisdem minutis proportionalibus 55. 10.s. accipio quartam partem, simul & dimidium quartæ, id est 17.m.22.s. quæ est latitudo tertia Meridionalis semper. Igitur prima latitudo declin. Sept. grad. 0.4.m.40.s. secunda reflexionis Merid. gr. 1.58.24. tertia Meridionalis gr. 0.17.22. aggrego quæ sunt eiusdē denominationis, & fient gr. 2.16.m.6.s. à quibus subtraho minorem Septentrionalem, & educetur latitudo Mercurij gr. 2.11.m.6.s. Meridionalis, secundum titulum maioris.

C A-

CANON XXII.

De passionibus Planetarum.

SECT. I.

Vtrum Planetæ sint directi, retrogradi, vel stationarij.

¶ Cum centro æquato ingredere tabulam stationis tui Planetæ, & accipe stationem primam, quam subtrahes à signis 6. & emerget statio secũda. Modò si argumentum æquatum Planetæ sit æquale stationi primæ, erit Planeta stationarius, & retrogressurus; si sit plus statione prima, & minus secunda est retrogradus; si sit æqualis stationi secundæ, erit stationarius ad directionem. Quòd si excedat stationem secundam, & non attingat primam, erit directus: sic similiter si excedat stationem primam, & secundam.

Exemplum. Per canones 16. & 17. sit centrum æquatum Saturni sig. 4. 59. 37. 39. & argumentum æquatum sig. 2. 55. 11. 47. in tabula passionum Saturni, & cum centro æquato elicio (facta parte proportionali) stationem primam sign. 1. 53. 29. m. quam subtraho à signis 6. & prosiliet statio secunda sig. 4. 6. 31. & quia argumentum æquatum excedit stationem primam, & non attingit secundam, ideò Saturnus vocabitur tunc stationarius.

SECT.

SECT. II.

Tempus quo Planetæ incipiunt dirigi, vel retrogradari.

¶ Scias primo quod in tribus superioribus, motus argumenti diarius proueniet, si subtrahas medium motum diarium Planetæ à medio motu Solis diario: at verò motus diarij argumēti veneris, vel Mercurij eliciuntur ab ipsorum tabulis. Modò ad inquirendum tempus, quo Planeta incepit dirigi, vide si argumentum medium excedat stationem secundam, & tunc subtrahe hanc ab illo; & residuum diuide per motum diarium argumenti, & in quotiēte elicies dies; si verò residuum non possit diuidi, quia diuisor sit maior, multiplica diuidendum, per 60. & in quotiente habebis minuta dierum: hoc tempus subtrahe à die & hora quo locum Planetæ æquasti, & manebit tempus quo dirigi incepit planeta. Si argumētum sit minus statione prima, hanc subtrahe à sig. 6. & residuo adde argumentum æquatum, & aggregatum diuide vt superius, & habebis intentum.

Vt habeas tempus quo incipiet retrogradari, inspice si argumentum medium sit minus statione prima, & tunc subtrahe argumentum ab ea, residuum diuide vt prius, &c. & habebis tempus retrogradationis. Si argumentum medium sit nullū, stationem primam diuide modo iam exposito; & tempus proueniens adde tuo, & adquires tempus,

pus, quo incipiet Planeta retrogradari.

Vt habeas tempus quo incepit retrogradari, stationem primam ab argumento medio subtrahe; & tempus proueniens subtrahe à tuo tempore, & habebis inuestigatum. Vt adquiras tempus, quo incipiet dirigi argumentum medium subtrahe à statione secunda; residuum diuide vt superius, & tempus proueniens adde tempori tuo, &c.

Exemplum. Anno dato 1599. Aprilis die 1. H. 10. 31. m. sit inquirendum tempus quando Saturnus tunc retrogadus, incepit retrogradari, & quãdò, pòst factus est directus, per præcedentem sectionem datur statio prima Saturni sig. 1. 53. 29. m. & argumentum medium sig. 3. 1. 2. m. 26. s. à quo subtraho stationem primam. Manent sign. 1. 7. 33. m. 26. s. id est scrupula secunda 247206. qui numerus erit diuidendus. Modò per cautionem datam colligo medium motum diarium argumenti Saturni min. 57. m. 7. s. id est scrupula secunda 3427. pro diuisore; & facta diuisione veniunt in quotientem dies 75. quos subtraho ab Aprilis die 1. & adquiro tempus, quo saturnus incepit retrogradari, nempè eodem anno Ianuarij, die 16. Vt inquiram tempus, quo factus est directus, argumentum medium subtraho à statione secunda, & residuum sig. 1. 5. 28. 34. id est secunda 235714. diuido per datum motũ diarium secund. 3427. & veniunt in quotientem dies 68. quos addo

Apri-

Aprilis diei 1, & tempus quo directus fuit Saturnus, datur eodem anno, Iunij, d. 8. sic de reliquis.

SECT. III.

Vtrum Planetæ sint Orientales, an Occidentales.

¶ Orientales dicuntur tres superiores Saturnus, Iupiter, & Mars. quando præcedunt Solem, id est, à coniunctione cum Sole vsque ad oppositionem: & sunt Occidentales cum sequuntur Solem; id est ab oppositione, vsque iterum coniungantur Soli. Venus & Mercurius dicuntur Orientales, cum diluculo antecedunt Solem, id est quãdo ipsorum gradus sunt pauciores loco Solis; & sunt Occidentales cum insequuntur Solem; quãdo ipsorum gradus sunt plures situ Solis.

Exemplum. Sit Sol in 25. 32. m. Libræ; Saturnus in 29. 46. m. Leonis; sic Saturnus dicetur Orientalis quia præcedit Solem; & à coniunctione præterita progreditur Sol ad illius oppositum.

SECT. IV.

De planetarum ortu matutino, vespertino, cosmico, & heliaco.

¶ Matutinus ortus est cum Stella ante ortum Solis apparere incipit; Occasus heliacus matutinus dicitur cum Stella ante ortum Solis disparet. Vespertinus ortus dicitur cum Stella vesperi incipit apparere; vespertinus Occasus est cum Ste-

lla post Occasum, Solis radijs implicatur. Expositi Planetarum ortus, & Occasus matutini, & vespertini inueniuntur hoc modo: cum argumento Planetæ æquato ingredere tabellam sequentem, & inuenies gradus, quibus intercipiuntur ortus, & Occasus; cum eisdem compara gradus argumenti, & adquires Planetæ quæsitum statum.

Planetarum ortus, & Occasus matutinos ac vespertinos inuestigare.

Si argumentum æquatum fuerit	Ab G	vsque	In G		
Venus.	1		137	Ortu	Vespertino.
	137		180	Occasu	
	180		223	Ortu	Matutino.
	223		360	Occasu	
Mercurius.	1		133	Ortu	Vespertino.
	133		180	Occasu	
	180		228	Ortu	Matutino.
	228		360	Occasu	
Satur. Iup. Mars.	1		180	Ortu	Matutino.
	180		360	Occasu	Vespertino.
Satur. Iup. Mar. Prætermissi à Sole per			20	Apparere	Incipiunt.
			340	Occultari	

Deinde ortus duplex est; verus vnus, qui fit vnà cum Sole (& dicitur matutinus, vel cosmicus) & etiam fit vespertinus, id est Acronictus: alter or-

tus dicitur heliacus, id est apparens ante, vel post Solem. Vt igitur statum Planetarum cognoscas in Venere, & Mercurio, si ipsorum locus est minor loco Solis, subtrahe locum Planetę à loco Solis, & emerget differentia Solis; quam serua. Modò ingredere tabulam passionum Planetæ sub titulo ortus matutini si per tabulam superius positam inuenisti Planetam in ortu matutino; vel sub titulo vespertino, si tali denominetur loco; & è regione signi, in quo inuenitur planeta, excerpe gradus, ibi repertos. Compara gradus inuentos cum differentia Solis seruata. Si gradus reperti sint plures erit Planeta Acronyctus, id est occiduus vna cum Sole; si vero pauciores, erit apparens.

Si locus Planetæ excedat locum Solis fac è cõtra; serua differentiam; & simili modo ingredere tabulam passionum sub titulo Occasus matutini, vel vespertini, veluti superius inuenisti cum argumento vero; & è regione signi in quo inuenitur Planeta excerpe gradus, qui si sunt plures gradibus differentiæ, planeta erit Occidentalis, si pauciores, Orientalis.

In tribus superioribus Saturno, Ioue, & Marte; hæc solum obserua: elicias differentiam inter Solem, & Planetam; & si differentia est Planetæ (id est quando locus Planetæ est maior loco Solis) intra cum eius signo tabulam, passionum sub titulo Occasus vespertini; & si gradus ibi reperti sint

 pau-

pauciores gradibus differentiæ Planeta erit apparens in Occidente; si vero plures, erit sub radiis Solis. Quando autem differentia est Solis, ingredere sub titulo ortus matutini; & gradus ibi inuētisi sint pauciores gradibus differentiæ, Planeta erit Orientalis apparens, si plures erit sub radijs.

Exemplum. Sit argumentum æquatum Veneris constans sig. 2. gr. 25. 0. s. id est gradibus 145. & quia Venus à gradibus 137. argumēti vsque 180. inuenitur in Occasu vespertino: ideò ęstimabitur vespertina in Occasu. Deinde sit locus Solis in gr. 15. 36. m. Leonis, & veneris in 27. 36. m. eiusdem signi, & quia maior est locus veneris subtraho locum Solis, & manebit differentia Planetæ grad. 12. 0 m. quos seruo. Ingredior tabulam pasionū veneris, & sub titulo Occasus vespertini (quia superius, sic inuenimus venerem) è regione signi Leonis accipio grad. 11. 30. m. & quia hi gradus reperti sunt pauciores, gradibus differentiæ, dicetur Venus Orientalis in Occasu vespertino, vel aliter, ortu heliaco post Solem.

SECT. V.

Motum diarum diuersum, & æquatum Planetarum inuenire.

¶ Cum centro æquato ingredere tabulam passionum Planetæ, & accipe motum centri, siue pūcti,

cti,& cum argumento æquato elicies motum portionis;& si supernè non sit titulus retrogradi, aggrega vtrosque motus, & emerget motus diuersus diarius. Si vero in fronte inscribatur retrogradus,& sit motus portionis minor motu centri, subtrahe minorem à maiori; & residuum est motus diarius Planetæ, qui dicetur directus. Si verò motus portionis sit maior motu cẽtri, planeta appellatur retrogradus; aufer minorem à maiori, & residum erit motus diuersus diarius. Si motus sint æquales, erit planeta stationarius.

Exemplum. Sit centrum veneris æquatum sig. 4. 39. 55. m.& argumentum verum sig. o. 18. 34. m. 2. cum centro in tabula passionum veneris accipio (facta parte proportionali) motum centri 58. 41. s. & cum argumento æquato elicio motũ portionis 15. m. 26. s. & quia supernè non inscribitur Retrogr. aggrego vtrosque motus in 1. 14. m. 7. s. qui est motus diarius diuersus, & æquatus.

SECT. VI.

Motus veros planetarum per aliquot dies inquirere.

¶ Si Planeta sit directus, inuenias motum diuersum (per præcedentem sectionem) quem multiplica per quot dies, eius motum inquiris; & aggregatum ex diebus erit motus Verus Planetæ, quem adde motui inuento, & habebis locum Planetæ, ad dies tuos. Si Planeta sit retrogradus, subtra-

trahes motum à loco Planetæ. Et si vis scire locũ in diebus elapsis; illud quod per multiplicationẽ inuenisti subtrahe à loco Planetæ si sit directus, vel adde si est retrogradus, hæc regula potest esse frequens ad quatuor; vel ad plures dies iuxta stationes Planetæ: at vero in media longitudine non est exacta.

Exemplum. Anno dato 1599. Aprilis die 1. h. 10. 31. m. Venus inuenitur directa, & per sectionem præcedentem sit dato tempore, motus diarius diuersus gr. 1. 14. 7. id est secunda 4447. quæ multiplico per 3. dies, prouenient secũda 13341. id est grad. 3. 42. m. 21. s. quos addo loco veneris qui fuit gr. 19. 44. m. 10. s. arietis, fient 23. 26. m. 31. igitur in tres dies post datum tempus nempè eodem anno Aprilis die 4. h. 10. 31. s. inueniebatur Venus in 23. 26. m. 31. arietis. Sed hæc regula per plures dies non est exacta.

SECT. VII.

Vtrum Planeta sit ascendens, vel descendens in circulo deferentis.

¶ Centrum Planetæ æquatum cũ fuerit ab vno gradu in sig. 3. erit Planeta descendens: in eccentrico, seu deferente, & à sig. 3. in 6. ascendens hoc intellige, è conuerso in Luna, namque in prima me-

medietate Epycicli aſcendit, in ſecunda deſcendit.

Planeta qui ſit propinquior culmini ſui circuli appellatur eleuatus ſuper alium, qui ſit remotior ab auge ſui circuli· quod ſcies à Planetarum argumentis; clarius rem hoc modò accipe, quando argumenta non excedunt 3 ſigna phiſica, eleuetur qui minus argumentum habet; quando argumenta excedunt 3.ſigna tunc qui maius argumentum ſortiatur, ſi vero vnus excedat ſig. 3. & alius non attingat, eleuatur qui propinquior eſt augi.

Exemplum. Sit centrum Planetæ æquatum ſig. 2.45.37.m.& quia inuenitur ab vno gr.ad ſign. 3. ideò dicetur deſcendens. Modò ſint per exempla ſuperiora, argumentum ęquatum Saturni ſign. 2. 55.11.47.& Martis ſign.0.41.15. 2. igitur Mars eleuatur ſuper Saturnum; quia argumenta nõ attingunt ſig. 3. & argumentum Martis minus eſt, quam aliud Saturni.

SECT. VIII.

Planetarum, tarditatem, velocitatem, vel æqualem motum inuenire.

¶ Luna nuſquàm dicitur directa, nec retrograda ſolum velox, tarda, vel æqualis in motu; cum argumentum Lunæ æquatum ſit minus vno ſigno phiſico & gr. 30. vel plus ſig. 4. 30. erit curſu tarda; ſi vero plus ſig. 1. 30. & minus ſig. 4. 30. eſt velox;

lox; si vero sit præcisè sig. 1. gr. 30. vel præcisè sig. 4. 30. erit cursu æqualis. In cæteris Planetis, quādo ipsorum motus diarius sit maior suo medio motu, dicitur cursu velox; quando minor, tardus; si adæquatus appellatur cursu æqualis.

Exemplum. Sit motus diarius veneris gr. 1. 14. m. 7. s. per tabulam Planetarum inuenio ipsius motum medium 59. 8. s. 19. & quia ille motus verus maior est hoc medio, vocabitur Venus, cursu velox: sic in cæteris.

CANON XXIII.

De Planetarum aspectibus inter se.

SECT. I.

Inquirere diem, & horam in qua fiunt aspectu Solis, & Lunæ.

¶ Omitto coniunctiones, & oppositiones nam de his abundè agemus in tractatu Eclypsium. Modò vt trinum, sextilem, & quadratum luminarium supputes; collige per exponendum canonem, oppositionem, & coniunctionem, quibus addes dies 4. h. 22. 7. m. 20. s. & habebis sextilem medium, vel dies 7 9. s. 11. m. 1. s. & adquires quadratum medium, vel dies 9. 20. 14. m. 21. s. & habebis trinum; & vt assequaris tempus verum aspectuū, recurre tractatui Eclypsium.

Exemplum. Sit iuuenta coniunctio luminarium media Aprilis, die 4. h. 2. 30. m. 15. s. quibus addo dies

dies ſextilis medij, & ipſe fiet Aprilis die 9. h. 00. 37. m. 35. s. ſic de cæteris.

SECT. II.

De aſpectibus Planetarum inter ſe.

¶ Die qua perſcrutaris aſpectum poſsibilem collige motum diarium planetarum, quorum aſpectum eſtimas, & ſi ambo Planetæ ſint directi, vel retrogradi tunc ſubtrahe motum diarium tardioris, à motu diario velocioris, & reſiduum ſerua pro ſuperatione; ſi vnus directus ſit, & alter retrogradus iunge vtroſque motus ſimul, & prouenıet numerus diuiſor tanquam ſuperatio. Deinde verum locus vnius ſubtrahe à vero loco alterius, minorem ſcilicet à maiori, & relinquetur lõgitudo. Conuerte longitudinem, & ſuperationem in ſcrupula vltima, id eſt ad ſecunda, vel tertia. Diuide longitudinem, per ſuperationem ſi potes, & quotiens dabit dies; & reſiduum diuiſionis multiplicatum per 60. & diuiſum per eandem ſuperationem dabit ſcrupula horarum, & ſi alterum datur reſiduum, multiplica per 60. diuide vt anteà, & quotiens dabit ſecunda.

Vltimò tempus inuentum per diuiſionem adde tempori, quo ſupputaſti loca Planetarũ, & prodibit tempus verum aſpectus, modò ſit coniunctio, modò oppoſito, vel alter quilibet.

Exemplum. Sit inquirenda oppoſitio Martis, &

 Ve-

Veneris die, in cuius tempore meridiano, inuenitur Mars in 14. 10. m. 15. s. Geminis, & Venus in 13. 47. m. 4. s. Sagitarij: aufero verum locum Veneris ab altero, & relinquitur longitudo gr. 0. 23. m. 11. s. id est scrupula secunda 1391. sit motus diarius Martis min. 31. 26. s. & Veneris 59. 24. s. quia ambo, sunt directi subtraho minorem à maiori, & emergit superatio, id est secunda 1678. & quia longitudo nequit diuidi per diuisorem, illam multiplico per 24. fient 33384. diuido per superationem 1678. veniunt in quotientem 19. horæ, dantur in residuo 1502 quæ multiplico per 60. giguntur 90120. diuido per superationē, Veniunt in quotientem 53. minuta; deinde residuo multiplicato per 60. & diuiso per diuisorem proueniunt tertia. Igitur opositio Martis & Veneris fiet horis 19. 53. m. 42. post Meridiem.

SECT. III.

De aspectibus planetarum cum Stellis fixis.

¶ Eodem penè modo, vti in sectione præcedēti, habeas longitudinem inter Planetam, & Stellam; deinde scias motum Planetæ diarium, longitudinē diuide per motū Planetæ; & si nequit diuidi, fac vti superius ad eliciendas horas, & scrupula; & tempus proueniens adde tuo tempori. Hoc nō est precisum in Luna proptem sensibilem Parrallaxim, si autem exacte inquiras Lunæ, & Stellarum aspectus, operabere eodem modo, vt in Eclypsibus.

Exem-

Exemplum. Sit tempore meridiano verus locus Martis in 22.4.m.o. Leonis, & ſit inquirẽda eius coniunctio cum Regulo qui tempore Regis Alphonſi peragebat gr.22.10.m. Leonis. Longitudo inter Martem,& Stellam eſt min.6.o. motus diarius Martis ſit min.32.o. multiplico longitudinem per 24.fient 144. diuido per 32. dat horas 4 reſiduum 16.multiplico per 60.& dant in quotiente minuta 30 igitur coniunctio Martis,& Reguli fuit hora 4.30.m. poſt Meridiem.

SECT. IV.

Supputare horam in qua Sol ingreditur in Arietem, vel alia puncta Zodiaci.

¶ Collige verum locum Solis ad diem, qui videatur, vel æſtimetur propinquior dato ingreſſui, habeas diſtantiam Solis à principio ſigni; quam reducas ad ſcrupula ſecunda; deinde per canonẽ in tractatum eclypſium inquire motum horarium Solis, quem etiam conuertes in ſecunda. Diuide diſtantiam per motum horarium, & quod veniet in quotientem dabit horas, reſiduum multiplica per 60.diuide productum per motum horarium, & quotiens dabit minuta; facta interum multiplicatione,& diuiſione, quotiens dabit ſecunda: hoc tempus proueniens addes tempori, quo ſupputaſti verum locum Solis; hoc intellige ſi Sol non dũ tranſgreſſus ſit principium ſigni, nam quando adiue-

uerit ſignum, ſubtrahes à dato tempore.

Exemplum. Anno Domini 1640. Martij die 20. colligo verum locum Solis tempore Meridiano in o. 51. m. 13. Arietis, igitur diſtãtia Solis à principio Arietis erit ſecund. 3073. deinde inuenio Solem agere in horario motu ſecunda 150. diuido diſtantiam per motum; Veniunt in quotientem horæ 20. reſiduum 73. multiplico per 60. creantur 4380. diuido per motum horarium, gignuutur horarum minuta 29. & ex reſiduo conflantur ſecunda 12. Igitur horas 20. 29. m. 12. ſubtraho à die 20. Martij quia Sol iam eſt ingreſſus ſignum; & manebit tempus quo Sol attigit principium Arietis eodem anno dato Aprilis, die 19. h. 3. 30. m. 48. s.

CANON XXIIII.

Supputare loca Stellarum fixarum ad quodcumque tempus.

¶ Paſchaſius Hamelius in tabulis Alphonſinis deſcripſit Stellas fixas ad annum Domini 1500. ſupputantur ad annos poſteriores hoc modo; collige augem communem (per canonem 3.) quam confer cum auge radicis Stellarum quæ eſt ſig. o. 19. 45. m. 53. 30. ſubtrahe minorem à maiori, & differentia erit ſubtrahenda à loco Stellæ, ſi aux communis radicis ſit maior; & erit addenda, ſi minor. Ad annos autẽ ante 1500. operabere è cõtra.

Exem-

Exemplum. Sit inueniendus locus Reguli anno 1599. Aprilis die 1.h. 10. 31. m. datur aux communis radicis sig.0.19 45.m. 53. s. quarum differentia est min. 52.34. quam, quia aux communis radicis est minor, addo longitudini Reguli, quæ inscribitur in gr.22.10. Leonis, & dabitur verus locus Reguli in eodem signo, gr. 23.2.m.34. si eãdem differentiam addas cæteris Stellis, prodibũt æquatæ ad datum tempus.

CANON XXV.

Ad inquirendum tempus mediæ coniunctionis, vel oppositionis Solis, & Lunæ.

¶ Annos completos accomoda vti præmonui ad supputandos motus; numerum secundum non multiplices, sed ipsos numeros simplices accipe. Numerum primum multiplica per 15759. numerum secundum per 15311. aggrega, producta quibus addes dimidium numeri primi: totum diuide per 42524 abiice quotientem, residuũ diuide per 60. & reliquatum dabit minuta; quotientem diuide per 24. (si possis) & habebis in vltimo quotiente, dies; & in residuo horas: quibus addes dies, horas, & scrupula, quæ inuenies congruentes mensi tuo æstimatiuo completo; per tabulam coniunctionum, iuxta menses bisextiles, si datus annus sit intercalaris, vel in altera si sit communis insuper addes tot dies, quot bisextiles comprehendit nu-

me-

merus ſecundus Deinde addes radicem Chriſti, quæ eſt dies 16.h. 18.27 m 48 s hoc aggregatum ſerua.

Vltimò ingredere ſub titulo tabulæ breuis; è regione opoſitionis ſi ipſam quęris, vel coniunctionis, quando ſynodum; accipe dies cum horis, qui tibi videbuntur proximiores, aggregato ſuperius ſeruato, dummodo accipias numerum maiorem: à quo ſubtrahe aggregatum ſeruatum, & manebit tempus medij plenilunij, vel nouilunij. Si autem quæris ſequentem coniunctionem, vel opoſitionem addes dies 29.h. 12. 44. & prodibit tempus medij nouilunij, vel plenilunij pro lubitu, & hoc in Meridiano Toleti.

Exemplum. Sit inueſtiganda coniunctio media luminarium, quæ eſtimatur anno Domini 1540. Aprilis menſe. Dantur anni completi 1539. & accomodatur tempus pro numero primo 76. & pro ſecũdo 19. Numero primo multiplico per 15759. & addito dimidio ipſius fiunt 1197722. & ſecundò per 15311. creantur 290909. aggrego producta in 1488631. diuido per 42524. quotientem abijcio, & ſuperſunt 291. diuido per 60. veniunt in quotiẽtem horæ 4. & ſuperſunt minuta 51. modo cum menſe Martij (qui eſt completus ad Aprilem) ingredior tabulam opoſitionum ſub menſibus anni biſextilis, & è regione Martij inuenio dies 2. h. 9. 48. m. quibus addo horas ſeruatas 4.

51.m.

51.m. numerus secundus comprehendit bisextiles 4. vltimò addo radicem Christi D. 16. 18.28. m. aggregantur in dies 23.09.07.m. ingredior tabulam breuem, & è regione coniunctionis accipio dies maiores, & proximiores aggregato superiori, nempè dies 29.h. 12.44.m. à quibus subtraho aggregatum superius, & manet tempus nouilunij medij anno dato Aprilis die 6.h. 3.37.m. tempore æquali.

CANON XXVI.

De motu horario luminarium in aspectibus.

¶ Collige verum locum Solis, & Lunæ hora mediæ coniunctionis, & cum argumento vero (cõuerso in signa comunia) ingredere tabulam veri motus Solis, & Lunæ; & facta parte proportionali si opus sit, sub columna Solis collige eius motum horarium; hoc idem fac cum argumento vero Lunæ. Subtrahe motum horarium Solis, à motu Lunę, & manebit superatio vnius ab altero, in motu horario.

Exemplum. Sit datæ coniunctionis mediæ argumentum verum Solis, Signorum communium 9.23 8. m. 4. s. cum quo in tabula motus horarij elicio cum signo in calce, & gradibus in latere sinistro min. 2.26 s. similiter cum argumento ęquato Lunæ sig. 3.16. 26.m. 24.s. colligo motum horarium Lunæ facta parte proportionali min. 33.

32.

 à quo aufero motum Solis, & manet ſuperatio Lunæ min. 31.6.s. id eſt ſecunda 1866.

CANON XXVII.

De inquirendo tempore vere coniunctionis, vel oppoſitionis.

¶ Hora habita mediæ coniunctionis collige verum locum Solis & Lunæ; ſi congruunt in eodē gradu, min. & ſecundo tunc coniunctio media reſpondet veræ: ſi vero vnus excedat alterum, aufer vnum ab alio, & differentiam conuerte in ſcrupula ſecunda. Deinde differentiam diuide per ſuperationem inuentam canone præcedenti; quotiens dabit horas, & reſiduum multiplica per 60. diuide productum per eandem ſuperationem, & habebis in quotiente minuta horæ. Iterum multiplicato reſiduo per 60. & diuiſo per ſuperationē habebis ſecunda.

Tempus productum à differentia diuiſa addes tempori mediæ coniunctionis ſi locus Lunæ minor ſit loco Solis, vel ſubtrahes ſi Luna excedat Solem, & adquires horam quam proximam verę. Iterum hoc dato tempore collige verum locum luminarium; & ſuperationem motus horarij. Si Sol & Luna inueniuntur in eodem min. & ſecundo iam aſſequutus es tempus verum, ſi autem diſſident, elicias differentiam quam diuides per ſuperationem ſecundo inuentam eodem modo vti ſu-

ſupra; tēpus productum addes, vel ſubtrahes etiā vt præmonui; & hoc modo operabere vſque colligas tempus, quo luminaria congruant in eodem minuto, & fere ſecundo.

Si autem velis tædium nimis calculoſum fugere; quando loca luminarium parum diſsident elicias differentiam, quam duplica & productum addes, vel adimes tempori prius inuento; & adquires tempus veræ coniunctionis. Idem in omnibus intellige de opoſitione Solis, & Lunæ.

Hoc modo inquiritur nouilunium verum tempore medio, id eſt diebus non æquatis: igitur per præceptum 19. habebis æquationem dierum, quā ſecundum titulum addes, vel adimes tempori veræ coniunctionis, & prodibit hora tempore apparenti, id eſt diebus æquatis. Vltimò quia Toleti deſurgit tempus quæſitum, ſi in diuerſum meridianum inquiris aſpectum, differentiam inuentā per præceptum 18. ſecundum titulum addes, vel adimes tempori inuento diebus æquatis, & habebis intentum.

Exemplum. Sit inquirendum tempus veræ coniunctionis quam tempore medio inuenimus canonē præcedenti anno Domini 1540. Aprilis, die 6. h. 3. 37. m. hoc tempore dantur in accomodatione, numerus primus 76. & ſecundus 7036. h. 3. 37. m. Medius motus Solis ſign. 0. 24. 40. 4. Aux propria ſign. 1. 31. 32. 0. argumentum 4. 53. 8. m.

4.s. æquatio Solis addenda gr. 1. 57. 55. ergo verus locus Solis in 26.37.m. 59.s. Arietis.

Medius motus Lunæ ſig. 0. 24. 35. 7. centrum nullum datur, argumentum medium & verum, (quia nullum eſt centrum) ſig. 1.46.26.25. æquatio argumenti ſubtrahenda gr. 4. 49.m. 54.s. ergo verus locus Lunæ in gr. 19.45.13. Arietis. Differentia inter loca luminarium eſt gradus 6. 52. m. 46.s. quæ eſt ſcrupula ſecunda 24766. hanc differentiam diuido per ſuperationem inuentam canone præcedenti, nempè 1866. & largitur horas 13.16.m. 20.s. Quas addo tempori mediæ coniunctionis, quia locus Lunæ minor eſt loco Solis, & proueniet tempus quam proximum veræ coniunctioni h. 16.53.m.20.s.

Hoc dato tempore datur medius motus Solis ſig. 0 25.12.45. argumentum ſig.4.53. 40.45. æquatio gr. 1.57. 28. ergo locus Solis in gr. 27. 10. m. 13. s. arietis; deinde medius motus Lunæ ſign. 0. 31.52.27. centrum ſig. 0.13.19.24. argumentum medium ſig. 1.53.40.3. & verum ſig. 1.55.28. m. 3.s. ęquatio argumenti gr. 4.39.m. 16.s. & locus Lunę in 27.13.m.11. arietis: differentia luminarium gr. 0 3. m. 58. id eſt ſcrupula ſecunda 238. hanc differentiam multiplicatam per 60. diuido per ſuperationem, quam inquiro per argumenta (inuenta tempore proximo veræ coniunctionis) ſicut ſupra & eſt min. 31. 33. id eſt ſecunda 1893. & fa-

& facta diuisione proueniunt horæ scrupula 7. 32. quæ subtraho ab horis 16.53. m. 20. s. quia Luna iam transgressa est Solem, & manet tempus veræ coniunctionis h. 16.45.m 48. Iterùm hoc tempore colligitur medius motus Solis 0.25.12.m.27.s. argumentum 4. 53. 40. m. 27. ergo Sol in 27. 9. m. 54. s. arietis. Deinde medius motus Lunæ 0. 31 48.m.20.s.centrum gr.13.11.m.46.æquatio 1. 56.39.s. argumentum verum 1.55. 32. 37. æquatio gr.4.39.8.ergo Luna in 27. 9. 12. arietis, parum differens à Sole; & quia differentia est minima, nempè secundorum 42.differentiam duplico, fiet minutum 1.24.quæ addo dato tempori, quia adhuc Luna non attingit solem; & manebit tempus veræ coniunctionis anno dato 1540. Aprilis, die 6.h.16.47.m.12.

Insuper per præceptum 19. colligo æquationē dierum congruentem loco Solis, scrup. 7. add. & prosiliet coniuntio, tempore apparenti, id est diebus æquatis, hora 16.54.m. 24.s. Vltimò reducatur ad meridianum Romę, quia coniunctio supputatur Toleti; differentia per Regem Alphonsum quamuis apud Recentiores minor) est h. 1. 40. m. addenda; igitur proueniet Romæ data coniunctio tempore apparenti h.18.34.m 24.s.

CANON XXVIII.

Vtrum luminarium coniunctio, sit eclyptica.

¶ Per subsequentes canones collige semidiametrum Solis, & Lunæ, tempore veræ cõiunctionis, & ad idem tempus habeas latitudinem Lunæ visam; quæ si minor est aggregato semidiametrorum necessariò fiet eclypsis Solis, si maior, non fiet synodus eclyptica; si autem sit æqualis, tunc Luna propè pertinget orbem Solis.

Sed quia dum ad latitudinis Lunæ visæ cognitionem veneris, iam eclypsis penè calculum exigisti, ideò hic alius datur modus facilior, sed non exactior. Tempore veræ coniunctionis habeas argumentum latitudinis Lunæ æquatum, quòd si cõstet signo o. & minus gradibus 12. vel signis 5. & plus gradibus 48. vel sig. 3. & minus gradibus 12. vel sig. 2. & plus grad. 48. tũc possibilis erit eclypsis Solis, si autẽ inueniatur extra datos terminos, impossibilis erit: deseruiat hic secundus modus, antequam vtaris primo.

Exemplum. Per secundum modũ anni dati 1540. Aprilis, die 6. h. 18. 34. m. coniunctionis veræ datur argumentum latitudinis verum per præceptũ, vel canonem 10. tractatus secundi, sig. o. g. 10. 52. 8. & quia constat sig. o. & minus gr. 12. ideò possibilis erit eclypsis Solis. Per primum modum dantur semidiatri Solis 16. m. 2. s. & Lunæ 16. m. 46. s. quæ aggregantur in 32. m. 48. s. Deinde sit latitudo

tudo Lunæ visibilis 1 .m. o. s. & quia latitudo minor est aggregato semidiametrorũ ideò data coniunctio, necessariò est eclyptica.

CANON XXIX.

De inquirendis semidiametris Solis, Lunæ, & circuli Lunæ in loco transitus, ad eclypses.

¶ Cum argumento Solis tempore veræ coniunctionis sub titulo semidiametri Solis collige semidiametrum; & cum argumẽto Lunæ excerpe semidiametrum Lunæ, & vmbre, sub suo titulo (facta semper parte proportionali, si opus sit) Sed quia semediameter vmbre supponit Solem in auge eccentrici, id est quandò nullum est argumentum Solis) ideò cum ipsius argumento in eadem tabula accipe scrupula sub titulo variationis vmbræ; & quod proueniat subtrahes à semidiametro prius inuenta, & prosiliet semidiameter vmbræ æquata.

Exemplum. Datum fuit argumentum Solis tempore veræ coniunctionis sig. 4. 53. 40. 27. cum quo sub titulo Solis facta parte proportionali elicio semidiametrum Solis scrup. 16. 2. deinde cum argumento Lunę sig. 1. 55. 32. 37. eodem modo colligo semidiametrum Lunæ scrupul. 16. 46. & semidiametrum vmbræ scrupul. 43. 36. quæ corrigitur cum argumento Solis largiente sub titulo variationis scrup. o. 16. quæ subtraho à semidiame-

metro vmbræ ſuperius inuenta, & manebit ęquata ſcrup 43.20.

CANON XXX.

De diuerſitate aſpectus inueſtiganda.

SECT. I.

In quo quadrante fiat eclypſis.

¶ Hora veræ cõiunctionis, tẽpore apparẽti, id eſt diebus æquatis, ſcias gradus aſcẽdentis, & Lunæ aſcẽſiones rectas: quia hic ſolũ agimus de eclypſibus ſuper terrã, ideò ſi Luna tẽpore cõiunctionis ſit ſupra terram inueſtigandus eſt quadrans coniunctionis; ſi enim gradus aſcenſionum rectarum Lunæ, diſtat ab aſcenſione recta aſcendentis, minus gradibus 90. tunc coniunctio fit in quadrante Orientali; ſi autem inter aſcenſiones rectas Lunæ, & aſcendentis ſint plures gradus, quam 90. cõiunctio fit in quadrante Occidentali.

Deinde ſi coniunctio fiat ante meridiem, horas & ſcrupula temporis coniunctionis ſubtrahe ab horis 24. vel ſi ſit poſt meridiem, eaſdem horas cũ ſcrupulis ſerua; & habebis diſtantiam cõiunctionis à meridie; quam ſerua.

Exemplum. Anno dato 1540. Aprilis die 6. h. 16.47.12. datur coniunctio Solis, & Lunæ; quo tempore medio, datur medius motus Solis ſig. 0. 25.12.28. argumentum ſig. 4.53.40. 29. & Sol in grad. 27. 9.5. arietis. Deinde medius motus Lunæ

næ ſig.o.31.48.58.centrum ſig.o.13.14.58.argumentum verum ſig.1.55 33.50.æquatio argumẽti grad. 4.39.3. & locus Lunæ in gradu 27.9 54. arietis, quia verò hæc coniunctio ſupputatur Toleti tempore medio; transferatur Romæ per canonem 3. & fiet Romæ tempore apparenti horis 18.34.m. 24.s.

Romæ igitur datis horis 18.34. m. inuenitur gradus aſcendentis 23.56. Tauri, & recta aſcenſio 51. 31. min. Inſuper recta loci Lunæ 25. 12.m. Modò quia inter aſcenſiones rectas Lunæ, & aſcendentis intercipiuntur gr. 26. 19. (Luna exiſtente ſuper terram) & gradus diſtantiæ ſunt pauciores gradibus 90. ideò coniunctio facta eſt in quadrante Orientali. Deinde quia coniunctio fit ante Meridiem, horas datas 18.34.24. ſubtraho ab horis 24. & manẽt horæ 5.25.m.36.s. pro diſtantia coniunctionis à meridie.

SECT. II.

De inuenienda diuerſitate aſpectus in longitudine, & illius æquationibus.

¶ Cum horis diſtantiæ coniunctionis à meridie, ingredere tabulam diuerſitatis aſpectus congruam longitudini tui loci (quæ ſi deſit, conſules proximiori) intra ſub ſigno in quo eſt Sol, & in parte ſuperiori ante Receſſum, ſi coniunctio ſit ante meridiem, vel in inferiori ſub receſſu, ſi cõiun-

iunctio sit post meridiem, vel sub ipso Recessu si fiat in meridie. Igitur in directo horæ datæ collige minuta longitudinis, si vero cum horis dentur minuta fac partem proportionalem cum hora sequenti, & proueniet diuersitas aspectus longitudinis, quæ tripliciter æquanda est.

Primò pro Zodiaco, quia diuersitas suponit luminaria in principio signi, igitur si iam ingressa sunt signum, intra etiam sub sequenti cum eisdem horis distantiæ, & eodem modò vti suprà elicias diuersitatem aspectus. Habeas differentiam quæ intercipitur inter signum in quo est Luna, & signũ sequens, auferendo minorem à maiori, de quibus accipies partem proportionalem secundum gradus, quos iam adiuit Luna sui signi; quam partem proportionalem addes primæ diuersitati aspectus, si sit minor; vel subtrahes si minor sit diuersitas signi sequentis, & proueniet longitudo primo ęquata. Si verò Luna inueniatur in principio signi, hac æquatione non indiges.

Secundò pro Epicyclo; cum argumento Lunæ æquato tempore veræ cõiunctionis ingredere tabulam æquationis diuersitatis aspectus, & facta parte proportionali si opus sit accipe minuta sub titulo Epicyli, de quibus, & de minutis longitudinis primo æquatæ accipies partem proportionalem, secundum proportionem ad 60. min. & hoc per præcep. 15. tract. 1. quã partem proportionalem

lem addes eidem longitudini primo æquatæ, & proueniet secundo æquata. Si autem argumentum Lunæ æquatum nullum sit, abiice hanc æquationē, quia tunc Luna est in auge Epicycli.

Tertiò, pro eccentrico; sic cum centro Lunæ ingredere eandem tabulam æquationis diuersitatis aspectus, & facta parte proportionali si opus sit collige minuta sub titulo Eccentrici, de quibus, & de minutis longitudinis secundo æquatæ accipies partem proportionalem sicut suprà, quam addes longitudini secundo inuentæ, & prosiliet diuersitas aspectus longitudinis tertio æquata: si vero cētrum Lunæ nullum sit, hæc vltima æquatio non tibi opus est, quia Luna supponitur in auge eccentrici.

Aduerte primò; si cū argumento & centro nulla inueniuntur minuta, tunc longitudo supponitur æquata. Aduerte secūdò, si latitudo tui loci nō inueniatur in tabulis diuersitatū aspectus fiat pars proportionalis de propinquiori, & sequenti, eliciendo in vtroque clymate diuersitatem aspectus omnibus modis, æquatam. Aduerte tertiò, quando ingrediaris sub aliquo signo; & date horæ non inueniantur in area accipe tunc longitudinem de hora, quæ sit propinquior tuæ, quia tunc in Horizonte insensibilis est differentia, maximè quia fit proportio, cum sequenti signo.

Exemplum. Ex superioribus datur distantia cō-

iunctionis à meridie h. 5. 25. 36. cum quibus, facta parte proportionali, ad latitudinē Romæ quæ est gr. 41. 52. m. in tabula propinquiori, quinti clymatis; sub signo arietis in quo fit coniunctio; & in superiori parte ante recessum, quia fit ante meridiem coniunctio, colligo scrupula longitudinis 20. 35. s. quæ tripliceter manet æquanda. Primò sub signo sequenti cum eisdem horis facta parte proportionali elicio longitudinem scrupul. 24. 25. inter longitudinem arietis, & Tauri intercipitur differentia 3. m. 50. de quibus secundū grad. 27. 9. m. quos in ariete decurrit Luna, prouenit pars proportionalis 3. m. 27. s. quæ addo primæ longitudini nempè 20. m. 35. s. quia maior est lōgitudo sequentis signi; & fiet diuersitas aspectus longitudinis primo æquata scrup. 24. 2. id est secunda 1447. Secundò cum argumēto Lunæ æquato sig. 1. 55. 33. m. in tabula æquationis diuersitatis aspectus elicio facta proportionali (sub titulo epicycli) scrup. 8. 20. de quibus, & de lōgitudine primo æquata fit pars proportionalis 3. m. 19. s. quæ addo longitudini primo iuuente, & prouenit secundo æquata scrupul. 27. 21. id est secunda 1641.

Tertiò cum centro Lunæ sex o. 13. 14. 58. facta parte proportionali sub titulo eccentrici, elicio scrupula o. 44. de quibus, & de longitudine secundo æquata, fit pars proportionalis sex. o. 20. quæ addo

addo longitudini secundo æquatæ; & prouenit tertiò, & vltimò equata scrupulorum 27. 41. id est 1661.

Modò quia data longitudo colligitur ad longitudinem Romæ grad 41. 52. ideò ex sequenti tabula clymatis sexti, & eodem modo elicio diuersitatem aspectus omnibus modis æquatam scrup. 26. 30. differentia inter data climata est 1. m. 11. s. id est secunda 71. igitur gr 4. 4. m. qui sunt differentia clymatum dant 71. m. quid largientur 32. quæ sunt differentia clymatis quinti, & Romæ? prouenient secunda 9. quæ subtraho à diuersitate aspectus inuenta ex clymate quinto, quia diuersitas alterius clymatis minor est; & prouenięt Romæ diuersitas longitudinis omnibus modis æquata scrupul. 27. 32. id est 1652.

CANON XXXI.

De inquirendo tempore medij eclypsis.

¶ Diuersitatem aspectus in longitudine superius seruatam conuerte in secunda, quæ diuides per superationem motus horarij Lunæ inuentam tempore verę coniunctionis per canon 2. in quotiente prouenient horæ, & quod sit reliquum multiplicetur per 60. diuide per superationem, & emergent minuta in quotiente; reliquũ verò multiplicatum per 60 & diuisum per superationem, dabit tertia; si verò diversitas nequit diuidi, eam

multiplica per 60. diuide productum vti præmonui, & euenient scrupula horæ. Tempus prouenies addes horis veræ coniunctionis, si cõiunctio fiat in quadrante occidentali; vel subtrahes, si fiat in Orientali, & producetur hora, quam proxima apparenti eclypsi.

Igitur vt tempus exactum assequaris; horas superius prouenientes subtrahe ab horis 24. si coniunctio sit ante meridiem; vel si est post meridiẽ, easdem horas serua; & quod proueniat dabit horas secundæ distantiæ à meridie; cum quibus quęres iterum diuersitatem aspectus, eodem, pleno, & simili modo, vt in sectione 2. canonis præced. factis æquationibus, & proportionibus: scilicet cum loco Lunæ, argumento vero, & centro habitis hora inuenta quam proxima eclypsi apparenti; hanc diuersitatem aspectus diuide per superationem motus horarij (inuentam tempore veræ coniunctionis) eodem modo sicuti superius; & tempus proueniens addes horis veræ coniunctionis, si fiat in quadrante occidentali, vel subtrahes si in Oriẽtali, & proueniet medium eclypsis.

Exemplum. Eadem coniunctione superiori, datur diuersitas aspectus longitudinis scrupul. 27. 32. id est secunda 1652. quæ diuido per superationem motus horarij inuentam tẽpore veræ coniunctionis scrup. 31. 33. id est 1893. sed quia diuersitas nequit diuidi, ipsam multiplico per 60.

pro-

productum diuido per superationem: crerntur in quotiente minuta horæ 52. reliquum verò multiplico per 60. productum diuido per superationē, & creantur secunda 21. igitur scrupula prouenientia 52. 21. subtraho ab hora veræ coniunctionis, quæ facta est Romæ h. 18. 34. m. 24. s. (facta subtractione, quia coniunctio fit ante meridiem) & prouenit hora quam proxima medio eclypsis 17. 42. m. 03. s. Inter datas horas, & meridiem intercipiuntur horæ 6. 17. m. 57. s. quæ sunt secundæ distantiæ; cum quibus quæro iterum diuersitatem aspectus in longitudine, eodem modo, vti in exēplo sectionis præcedentis; & prouenit primo æquata pro Zodiaco scrupul. 23. 50. id est 1431. secundò æquata pro epicyclo 27. m. 8. s. tertiò æquata pro eccentrico 27. m. 27. s. deinde in sequenti clymate cum eisdem horis 6. 17. m. 57. s. datur diuersitas tertio æquata 23. m. 6. s. Modò differentia inter clymata 4. m. 21. pars proportionalis ad latitudinem Romæ scrup. 0. 20. s. quæ subtraho (quia sequens clyma decrescit in minutis) à superiori diuersitate inuenta 27. 27. & prouenit diuersitas aspectus secunda vera, & æquata scrupul. 27. 7. s.

Hanc diuersitatem 27. 7. id est secunda 1627. diuido per datā superationē motus horarij 1893. & factis multiplicationibus, & diuisionibus proueniunt horarum scrupula 51. 35. quæ subtraho ab horis veræ coniunctionis 18. 34. m. 24. (quia facta

facta est ante meridiem, & manet tempus medij eclypsis h. 17.42, m. 49.

CANON XXXII.

De vero loco luminarium tempore medij eclypsis.

¶ Cum horis secundæ diuersitatis aspectus fac hanc Analogiam; si scrupula secũda vnius horæ quæ sunt 3600. dant hunc motum horariũ Solis (quẽ colliges per canon 26.) quid dabit hæc diuersitas aspectus? productum subtrahe à verò loco Solis, inuento tempore veræ coniunctionis, si fiat ante meridiem, id est in quadrante Orientali; vel addes si in occidentali. Et proueniet locus Solis tempore medij eclypsis. Idem fac de motu horario Lunæ, secundum datam regulam; idem productum de motu Lunæ subtrahes, vel addes argumẽto æquato Lunæ, & prodibit verum. Insuper accipe superationem motus horarij Lunæ tempore veræ coniunctionis; fac hanc Analogiam: si hora vna dat han superationem, quid dabunt horæ secundæ diuersitatis aspectus? productum duplica, & aggregatum addes, vel adimes (vti suprà) centro Lunæ, & prosiliet æquatum.

Exemplum. Tempore veræ coniunctionis datur medius motus Solis sex o. 25. 12. 28. & verus locus in sex o. 27. 9. 57. cum eius argumẽto vero sex 4. 53. 40. m. 29. s. elicitur verus motus horarius scrupul. 2. 27. id est secũda 146. igitur si hora vna

3600.

3600.dant 146.quid dabit diuersitas aspectus secunda 52.m.15.s: id est 3116.prouenient scrupul. 27 quæ subtraho à dato loco Solis, quia coniunctio fit ante meridiem, & manet verus locus Solis ad medium eclypsis in grad. 27. 7. 50. arietis.

Medius motus Lunæ tempore veræ coniunctionis sex 0. 31.48. 58. centrum sig. 0. 13. 14. 58. argumentum verum sig. 1.55.33.50. locus Lunæ sig. 0.27.9. 54. cum argumento vero colligitur motus horarius Lunæ verus min. 33.59.s. facta si mihi Analogia creantur 29.m.8. quæ subtraho à dato loco Lunæ, & manet ad medium eclypsis sig. 0. 26. 40.m.46.s. Deinde superatio est 31.m. 33 secunda 1893. de quibus facta Analogia, vt suprà conflantur scrupula 27.29.s. quæ duplico fiet 54. m. 58.s. hæc aufero à cētro Lunæ, & manet æquatum sig. 0. 12. 20.m.0.s. Vltimò argumento vero subtraho idem productum de motu Lunæ, nempè 29.m.8. s. & prouenit ęquatum ad medium eclypsis sig. 1. 55. 4.m.42.s.

CANON XXXIII.

De inquirenda diuersitate aspectus in latitudine.

¶ Per horam medij eclypsis adquires distantiā à meridie vti suprà: cum hora huius distantiæ ingredere tabulam diuersitatis aspectus, & excerpe scrupula latitudinis sub eiusdem titulo; hoc opera-

rabere eodem modo, vti collegisti diuersitatem aspectus in longitudine per sect. 2. canon 30. cum æquationibus pro Zodiaco, pro epicyclo, pro eccentrico, & cum proportione ad clymata propinquiora. sed tamen, ad elicienda minuta proportionalia epicycli, & eccentrici, vtaris argumẽto, & centro æquatis ad medium eclypsis; idem intellige de loco Lunæ in Zodiaco ad proportionem signorum. Diuersitas aspectus latitudinis inuenta, denominatur meridionalis in omnibus regionibus, quarum latitudo maior est gradibus 24. (quæ est maxima Solis declinatio) in cæteris vero Septentrionalis.

Exemplum. Datur hora medij eclypsis 17. 42. m. 49. s. ergo hora distãtiæ à meridie 6. 17. 51. cũ quibum in eadem tabula diuersitatis aspectus ad *latitudinem* grad. 41. 20. m. sub signo arietis (parte proportionali neglecta) colligo min. 46. m. 0. s. sub Tauro facta parte proportionali, min. 44. m. 22. s. & facta parte proportionali cum gradibus, quos decurrit Luna tempore medij synodi, proueniet latitudo primo æquata pro Zodiaco scrup. 44. 34. id est 2674. Cum argumento Lunæ æquato tempore medij eclypsis sex 1. 55. 4. m. 42. sub tabula æquationis diuersitatis aspectus colligo minuta epicycli 8. 10. s. de quibus, & de latitudine primo æquata fit pars proportionalis 6. m. 3. s. igitur acrescit latitudo secundò æquata scrupul.

50.

50. 37 id est secunda 3037.

Cum centro Lunæ sig. 0. 12. 20. m. 0. s. elicio minuta eccentrici 0. 40. s. de quibus, & de latitudine secundò æquata, fit pars proportionalis scrup. 0. 33. s. quæ addo latitudini secundo inuentæ, & prouenit æquata scrupul. 51. m. 10. s. In sequenti clymate prouenit diuersitas latitudinis omnibus modis æquata scru. 57. 9. s. differētia inter clymata est 5. m. 59. s. id est 359. & pars proportionalis ad Romam est 44. s. quæ addo priori latitudini 51. m. 10 m. quia sequens diuersitas latitudinis crescit; & manebit vltimò æquata diuersitas aspectus latitudinis scrup. 51. 54. s. quę denominatur meridionalis, quia latitudo Romæ excedit gradus 24.

CANON XXXIV.

De inquirenda vera latitudine Lunæ.

¶ Per canonem 9. tract. 2. collige mediū motum capitis tempore veræ coniunctionis; deinde fac hanc Analogiam; si hora vna id est 3600. dat scrupula secunda 8 (quæ ferè sunt motus horarius ipsius capitis) pro motu horario Capitis, quid dabit hora secundæ diuersitatis aspectus, quam habuisti per Canō 31. productum adde medio motui capitis, si coniunctio sit ante meridiem; vel subtrahes, si sit post meridiem, & comparabis mediū motum capitis tempore medij eclypsis; dato medio

dio motui addes verum locum Lunæ inuentū tempore medij eclypsis, & à producto pro regula generali subtrahes scrupula 14. & proueniet argumentum verum latitudinis Lunæ; cū quo per canon 10. tract. 2. excerpes latitudinem Lunæ.

Exemplum. Tempore veræ coniunctionis datur medius motus capitis draconis sign. 5. 43. 42. 9. modo si 3600. dant 8 quid largientur 52. m. 15. s. quæ sunt horæ secundæ diuersitatis aspectus? creatur secunda 6. 23 quæ addo medio motui, quia coniunctio fit ante meridiem; & erit medius motus capitis sig. 5. 43. 42. m. 15. s. cui addo verum locum Lunæ sig. 0. 26. 40. m. 46. & fiet productū sig. 0. 10. 23. 1. à quo pro regula generali subtraho scrupula 14. & manebit argumentum verum latitudinis sig. 0. 10. 8. m. 59. s. cum ipso per canonem 10. tract. 2. elicio latitudinem Lunę 52. m. 47. s. 12. Septentr. Ascend.

Sic inquiritur verum, & genuinum argumentū latitudinis per tabulam Regis Alphonsi constitutam ante coniunctiones; namque argumentū latitudinis ad eclypses, quod est à limite Boreo, supponitur in radice parum differens ab argumento, quod elicitur à modò euehente.

CANON XXXV.

De latitudine Lunæ visibili.

¶ Compara latitudinem Lunæ verām, cum lati-

titudine diuerſitatis aſpectus collecta per canon 33. ſi ambo ſint meridionales, vel ſeptētrionales, iunge vtraſque; & habebis latitudinē Lunæ viſam: ſi ſunt diuerſæ denominationis ſubtrahe minorē à maiori; & manebit latitudo viſibilis cum denominatione maioris.

Exemplum. Datur latitudo Lunæ vera ſcrup. 52. 47. ſeptentrionalis: diuerſitas aſpectus latitudinis ſcrup. 51. 54. meridionalis; ideò ſubtraho minorem à maiori; & manet latitudo Lunæ viſa ſcrup. 0. 53. & denominatur ſeptentrionalis; quia latitudo vera maior eſt alia.

CANON XXXVI.

De digitis eclypticis.

¶ Ingredere tabulā eclypſis Solis cum latitudine Lunæ viſa, & primò ſub tabula ad longitudinem longiorem, collige puncta eclyptica, facta parte proportionali, ſi opus ſit; ſimiliter cum eadem latitudine viſa excerpe punta ſub tabula ad longitudinem propriorem; compara vtraque pūcta collecta; ſubtrahe minima à maioribus, & ſerua differentiam. Nunc cum argumento Lunę vero, habito tempore medij eclypſis, ingredere tabulam æquationis diuerſitatis aſpectus, & accipe ſcrupula congruentia argumento, ſub titulo, proportiones longitudinum: cum quibus, & cum differentia punctorum ſeruata fac hanc Analogiam; ſi ſcrupula 60. dant hanc differentiam, quid largiē-

 tur

tur minuta proportionalia longitudinum; partem proportionalem prouenientem addes punctis eclypticis collectis ſub tabula ad longitudinem longiorem; & productum dabit æquata puncta eclyptica, quæ vocantur digiti diſci Solis.

Aduerte primò, quando latitudo Lunæ viſa non inuenitur in aliqua tabularum; tunc non dabitur eclypſis Solis, ideò requieſce à cæteris. Secundò quando latitudo Lunæ viſa excedit ſcrupula 31. tunc ſolum ingredere tabulam ad longitudinem propriorem; & quia tunc non dabitur differentia punctorum, de qua fiat pars proportionalis, ideò tunc de ſolis punctis ibi inuentis fiet analogia expoſita, & quod proueniat dabit puncta æquata. Tertiò in tabula ad longitudinem propriorem cũ latitudine viſa 1. m. 30. s. adnotantur digiti 12. & cum latitudine o. iterum ſupponuntur 12. ideò vltimum duo denarium punctum æſtimatur 13. & à prioribus 12. ad numerum ſequentem imaginantur ſcrupula 60. de quibus fiet proportio cum latitudine viſa: ſcias etenim ſolum ibi adnotari 12. quia Solis digiti non ſuponuntur vlteriores. Res exemplo fiet clarior.

Exemplum. Cum latitudine Lunæ viſa ſcrupul. o. 53. ſub tabula ad longitudinem longiorem, facta parte proportionali elicio punta 11. 10. m. Modò per cautionem tertiam cum eadem latitudine viſa, & facta parte proportionali, colligo pũ-

ta 12. 25. differentia punctorum est, punct. 1. 15. id est scrupula 75. quæ seruo.

Cum argumento Lunæ vero ad medium eclypsis sig. 1 55. 4. 42. sub titulo minutorum proportionalium, in tabula æquationis diuersitatis aspectus, facta parte proportionali colligo scrupula 41. 40. Id est secunda 2500. igitur si minuta 60. quæ sunt secunda 3600. dant 75. pro differentia punctorum, quid dabunt 2500. prouenient scrupula 52. quæ addo puntis inuentis ad longitudinẽ longiorem 11. 10. m. & manent puncta, vel digiti eclyptici Solis obscurati 12. 2. m. ideò totus Sol passus est eclypsim.

CANON XXXVII.

De duratione Eclypsis.

¶ Cum latitudine Lunæ visa collige minuta casus in tabula eclypsis Solis; eodem modo vti inuestigasti puncta eclyptica; primò ad longitudinem longiorem, insuper ad propriorem, deinde cvm differentia proportionata, & addita minutis ad longitudinem longiorem. Minuta casus æquata diuide per superationem, inuentam tempore medij eclypsis, secundùm modum sæpè dictum, & tempus prouenient erit dimidium durationis: duplica tempus, & adquires totam durationem. Dimidium durationis subtrahe ab hora medij eclypsis, & habebis ipsius principium; & addes horæ

ræ medij synodi, vt proueniat finis.

